

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition imprimée à Londres en 1678, chez M. Clark. Les quelques modifications qui y ont été apportées nous ont été imposées par la métrique.

## PLANTARUM LIBER I

(1312 v.)

P\_1\_1 v.1 Infima regna cano, sed longe maxima vitae,  
 2 plantarum omnigenum regna decora cano.  
 3 Quaeque ferum in sylvis agitant immanibus aevum,  
 4 naturae utentes simplice lege suae,  
 5 quaeque sub humana discunt mansuescere cura,  
 6 hortorumque urbes, et data jura colunt,  
 7 quaeque levant sursum se patris ad oscula solis,  
 8 quasque humiles terrae brachia matris habent,  
 9 quae fontes fluviosque bibunt, quae sicca tenentes  
 10 admittunt solum pro Ganymede Jovem,  
 11 et quascumque sacrum Judaei principis olim  
 12 (heu misere amissum !) nobilitavit opus.  
 13 Non ego, Nestoreae quercus si suppetat aetas,  
 14 carminibus cunctas posse referre putem.  
 15 Incipiam tamen, et nemoris primordia sancti  
 16 parva, sed arboreis versibus apta, dabo.  
 17 His alius plures adjunget forsitan umbras,  
 18 et dignus tandem numine lucus erit.  
 19 Numen ades jam nunc, divum doctissime Phoebe,  
 20 et plantae et vates nam tua turba sumus.  
 21 Quaque venis, fundas circum lucemque caloremque,  
 22 atque omnis vita sit via picta nova.  
 23 Qualem te sentit brumalis vincula mortis  
 24 rumpentem magico lumine vernus ager,  
 25 ad Colchos Aries cum te vehit aureus aureum,  
 26 et calida Arctous gaudia mundus agit.  
 27 Unde intra ingrediar ? Nam me blandum allicit omnis,  
 28 et pulchris ad se nutibus herba vocat.  
 29 Non ego me methodo astringam serviliter ulla,  
 30 sed temere Hyblaeae more vagabor apis,  
 31 quo me spes praedae et generandi gloria mellis,  
 32 liberaque ingenii quo feret ala mei.  
 33 Non hic areolis hortorum emblemata justis  
 34 prostituent fastus vermiculata suos,  
 35 naturae sed nos effusa sine ordine dona  
 36 ditis, et immensas non numerantis opes,  
 37 et variae reverenda imitabimur avia silvae.

38           Munera disponit non nisi parca manus.  
 39    Tu primae augurium da, flave Diespater, herbae,  
 40           et faustum incipiens dirigat omen iter.  
 41    Omen adest faustum, bene habet, sperare jubemur.  
 42           Grandia non laevus respicit orsa deus.  
 43    Nam te prima oculis offers, vettonica, nostris,  
 44           opportuna mihi, planta benigna, venis,  
 45    opportuna venis, generosa patrona cerebri.  
 46           Si sapis, o cerebri sit tibi cura mei.  
 47    Non te (crede mihi), nihil hoc, vettonica, tangit :  
 48           tu cave ne male sit, teque tuasque cano.  
 49    Te vero, ut merita es, viridis stirps optima gentis,  
 50           quis canet, aut tantas vel numerabit opes ?  
 51    Ille quidem Hercyniae felicia germina silvae,  
 52           et poterit Paesti dinumerare rosas.  
 53    Musa tuas justo celebrasse volumine laudes  
 54           dicitur, et partem praeteriisse puto.  
 55    Ipse suos Caesar voluit memorare triumphos.  
 56           Fac precor, o victrix Caesare major, idem.

#### VETTONICA

P\_1\_2    v.1    Qui mea cuncta tibi breviter cupis acta referri,  
           2           frustra es, nam totus non capit illa liber.  
           3    Qua patet humanus nostra est provincia mundus,  
           4           candida purpureum qua sola flumen obit.  
           5    Porrectum medio cernit quodcumque sub axe  
           6           seu polus hic captis, seu polus ille pedum.  
           7    Sed data praecipue capitis mihi cura regendi,  
           8           et me mens aulae praeficit ipsa suae.  
           9    Firmo fatiscentem, et sinuosa palatia purgo,  
 10           obscuramque veto luminis esse domum.  
 11    Illa oriunda polo, dilapsa nitentibus astris,  
 12           illa creatoris filia magna Dei.  
 13    Hei mihi, quam fragilem pauper jam cogitur aedem  
 14           quamque ruinosam mens habitare casam !  
 15    Pestiferi infelix patitur contagia tecti,  
 16           accensae flammis uritur ipsa domus.  
 17    Saepe aliquis sacri correptus fulmine morbi  
 18           procumbit subito, triste bidental, humi.  
 19    Saepe caput celeri circum vertigine fertur,  
 20           atque Ixionia mens agitata rota est.  
 21    Saepe gravis dolor incudem sub vertice tundit,  
 22           stat juxta fornax, et vigil igne furit.  
 23    Saepe aliquas motus partes sensusque relinquunt,  
 24           ambulat (heu monstrum !) semicadaver homo.  
 25    Mezenti superat furias, et corpore eodem  
 26           conjungit vivis mortua membra lues.  
 27    Ast alios premit integra caligine torpor,  
 28           et toto leti pondere saeva quies.  
 29    Heu vitam affinem similemque per omnia morti !  
 30           In sola vitam mors brevitatem refert.  
 31    Saepe agitat vanis rationem insania visis,  
 32           et misera in somnis ambulat illa suis.  
 33    Saepe etiam absumpto nervorum divite succo

34 (quem sola aetherium cernere mente licet)  
35 perpetuum vinclis quatiuntur membra solutis  
36 ambigua, et laxo machina fune tremit.  
37 Haec, et quae noceant sacro mala mille cerebro  
38 (cui mala mille nocent ambitiosa loco)  
39 me pater aeterno jussit compescere bello,  
40 et "regnum," dixit, "nata, tuere meum."  
41 Ac velut Aeneae mater vel mater Achilli,  
42 sic fabricata mihi caelitus arma dedit,  
43 divinum folium informans unum omnia contra  
44 telaque morborum fatiferasque minas.  
45 Additur et succi non enarrabilis humor,  
46 et supero arcanus qui pluit orbe calor.  
47 Phoebe pater, non me ignavam caelestibus armis  
48 donas, rubigo neve ea carpet iners.  
49 Non caput absolvat solum me crimine tanto,  
50 absolvat capiti subdita membra suo.  
51 Cum corda occlusis pulmonibus occupat humor,  
52 aëriosque aditus vis inimica tenet,  
53 imparibus tentat conatibus excutere hostem,  
54 et petit externam languida tussis opem.  
55 Me petit, advenio. Reseratur semita cordis,  
56 blandaque per notos pertinet aura favos.  
57 Vitali Zephyro mulcentur pectoris aestus,  
58 mitescitque tuus, torrida zona, calor.  
59 Pellitur a siccis serpens quartana cavernis,  
60 ascitesque suis pellitur hydrus aquis.  
61 Tristia pelluntur stomachi fastidia crudi,  
62 assiduoque viget laeta culina foco.  
63 Sedatur torti tempestas turbida ventris,  
64 postico iratus murmure flatus abit.  
65 Eluitur croceo tinctura inamabilis ore,  
66 gutta feros lapides (nec diuturna) cavat.  
67 Lentus inhaerescens venis lunaeque rebellis  
68 cogitur obscaenus praecipitare cruor.  
69 Alba sed illiciti hauritur sentina fluoris.  
70 Hei mihi, spurcicies non aliena sat est.  
71 Sistitur ipse etiam, rubroque remittitur orbi  
72 qui velit injussa sanguis abire via.  
73 Sistitur insanos matrix motura tumultus,  
74 longinquum telis ausa ferire caput.  
75 Maternusque tumet non fluxo pondere venter,  
76 funera nec nasci dimidiata sino.  
77 Sed cum natalis sacer ingruit impetus horae,  
78 vis eadem inceptum fortior urget opus.  
79 Quid quod et articulis podagram discedere cogo ?  
80 Tarda licet, celeri me fugit illa gradu.  
81 Quid quod serpentum furialia pello venena,  
82 et mea serpentes dia venena necant ?  
83 Illos subtili ferit arcanaque sagitta,  
84 et perimit caeco vulnere acutus odor.  
85 Sic, pater arcitenens, victum Pythona fuisse  
86 arbitror, et succis illita tela meis.  
87 Quid quod de membris per me dolor omnibus actus,  
88 atque exul toto corpore maestus abit ?  
89 Quid quod defessis redeunt viresque vigorque,

90           atque oti fructum percipit ipse labor ?  
 91   Nec miserae satis est incommoda tollere vitae,  
 92           ornatur donis luxuriatque meis.  
 93   Per me purpurei formosum lumen honoris,  
 94           et niveam illustrat gratia viva cutim.  
 95   Talem me genuit faustis Hispania silvis,  
 96           omnibus et terris terra benigna dedit.  
 97   Nec Trajanum orbi magis est genuisse regendo,  
 98           ac dominum dominae laeta dedisse suae.  
 99   Implevit numerum certe laudum ille mearum,  
 100           et mihi multiplici par bonitate fuit.  
 101   Sed bonus, ah princeps, factorum quam breve donum est  
 102           tantarum exhaeres quam cito mundus opum ?  
 103   At nostra aeternum gentes virtute fruuntur,  
 104           sumque orbi semper quod fuit ille semel.

#### CAPILLUS VENERIS

P\_1\_3   v.1   Nostra capillaris cum sit domus optima gentis,  
           2           me patronam omnes constituere suam,  
           3   pro cunctis voluere loqui. Numerosa propago,  
           4           nec plantas inter factio parva sumus.  
           5   Et filices, quarum est dominatio lata per agros,  
           6           contingunt nostrum proximitate genus.  
           7   Quidam etiam aetherios hinc deduxere cometas,  
           8           junctaque cum superis germina multa putant.  
           9   Sed consanguineos libet haud agnoscere tales,  
 10           odimus et mores turba benigna feros.  
 11   Funditur augurio noster meliore capillus,  
 12           et non de nihilo nomen amoris habet.  
 13   Ipsa mihi multum scit se debere venustas,  
 14           ipse meis telis retia nectit amor.  
 15   A me formosi lasciva volumina crinis,  
 16           plaudentisque humeros umbra decora comae.  
 17   Me cole quisquis amas, laetam nutrire memento  
 18           caesariem, et toto vertice tende plagas.  
 19   At nudum sine honore caput, tritisque capillis  
 20           pannosum, inclusas quam male jactat opes ?  
 21   Nimirum, tenerae nec credunt ista puellae,  
 22           nec curant. Oculis serviat omnis amans.  
 23   Sic Veneri (delector enim cognomine diva)  
 24           praesto operam (quamvis ipsa modesta) meam.  
 25   Ipsa modesta quidem, contentaque simplice cultu ;  
 26           rusticus en nullo flore superbit apex.  
 27   Sobria praecipue, nec dulcia flumina libo,  
 28           nec fiunt labris stagna minora meis.  
 29   Propinat plantis cum Jupiter ipse salutem,  
 30           largaque caelestis pocula fundit aquae,  
 31   germina multa vides totum exhaurire liquorem,  
 32           et non civili proluere ora modo.  
 33   Vitiferi credas habitantes litora Rheni  
 34           Germanos festum concelebrare diem.  
 35   Me pudet hoc. Tactos foliis trepidantibus imbres  
 36           excutio, et madidum sicca saluto Jovem.  
 37   Non equidem invideo bibulis, nam laeta viresco,

38 nec succum exhaurit bruma vel ipsa meum.  
39 Me tamen immergunt medici crudeliter undis,  
40 cogor et invisio fusa liquore mori.  
41 Persequor humores odio post fata perenni.  
42 Persequor, humores et cinis ipse fugat.  
43 Per jecoris splenisque vias renumque meatus  
44 hostem ago, fluminea labitur ille fuga,  
45 et multos prono secum vehit agmine morbos,  
46 horrida quae falsis monstra feruntur aquis.  
47 His ego pro meritis poteram meruisse videri  
48 vel Berenicaeis altior ire comis.  
49 Sed vertente polo recipit si sidera pontus,  
50 plus mihi vel caelis arida terra placet.

#### SALVIA

P\_1\_4 v.1 Salvia, quae multis titulum virtutibus implet,  
2 salvia, quam magni vita beata facit,  
3 cum damnosa tuo fugiant obliviam dono,  
4 salvia, non possum non memor esse tui.  
5 Mnemosynae caram celebrabunt jure Camenae,  
6 et non ingratas esse querere deas.  
7 Celso monte super saxo circumdata mentis  
8 stat domus, et late subdita membra videt.  
9 Artifici fuerit dextra fabricator oportet,  
10 nam parva, at mundi totius illa capax.  
11 Hic sacra spirituum glomeratur turba potentum,  
12 corporis humani proxima turba deae.  
13 Concilium hic summis magnum de rebus habetur,  
14 discurritque frequens, itque reditque cohors.  
15 Fervet opus, portisque vagum ruit omnibus agmen,  
16 candida nec solis densior aura pluit.  
17 Scilicet aetherios artus bombycina vestit  
18 materies, rapidum nec remoratur iter.  
19 Omnia sed longo labefacta labore fatiscunt,  
20 membraque perpetuum fortia frangit opus.  
21 Saepe etiam intentos operi passimque vagantes  
22 grassator duro devorat ore calor.  
23 Saepe Venus toto praedatrix corpore raptos  
24 avehit, aut liquido mergit in igne merum.  
25 Inde graves sensus invadit plumbea pestis,  
26 et glaciatur vitae munia torpor iners.  
27 Colluvies animam morborum frigida inundat  
28 milite nudatam praesidiisque suis.  
29 Inde tremunt nervis perterrita membra solutis,  
30 et nutat dubie mox ruitura domus.  
31 Vix ori calices sitiendi dextra vacillans  
32 ferre valet, trepidam ferre venena putes.  
33 Tum demum apparet quantum tu, salvia, possis,  
34 implorantque tuam digna pericla fidem.  
35 Frigore vallatum densisque humoribus hostem  
36 vividus obsessa dejicit arce calor,  
37 spiritibusque fatigatis certamine tanto  
38 spiritus afflatur te veniente novus,  
39 et nova vita redit (liceat si dicere) vitae,

40 corpore quae jacuit paene sepulta suo,  
 41 et nervis jam membra suis religata tenentur,  
 42 nec fluctus puppim sed moderator agit.  
 43 Cuncta tuo adventu stabilis : tam fortia quisquam  
 44 crederet e fibris vincula facta tuis ?  
 45 Non fragili laxos solidas ferrumine dentes,  
 46 cogis et alveolis rite manere suis.  
 47 Ah ! numquam ruat hoc tam pulchrum atque utile vallum,  
 48 neve suo cedat terminus iste loco.  
 49 Lubrica tu firmas teneri primordia fetus,  
 50 atque uteri fluxam non sinis esse fidem.  
 51 Mors fera, parce precor vitam anticipare vel ipsam  
 52 ut moriatur homo, sit, precor, ille prius.  
 53 Ah nimium properas, siquidem in navalibus ipsis  
 54 naufragium faciat vix fabricata ratis !  
 55 Parva quidem memoro. Tu coram absentia sistis,  
 56 nec tu praeteritum praeteriisse sinis.  
 57 Sed fluidarum animo signas vestigia rerum,  
 58 et non futilibus figis inusta notis.  
 59 Ne male diluto fugiant pigmenta colore,  
 60 tu prohibes oleo mista perire tuo.

MELISSA

P\_1\_5 v.1 Ite procul, curae (nimium mihi turba sodalis),  
 2 ite : venit vati laeta melissa suo.  
 3 Laeta venit, sertisque volens me cingit odoris.  
 4 "Me cane, ait, merces ipsa canentis ero."  
 5 Jamdudum insolito juvenescunt corda sereno,  
 6 agnosco afflatum, nobilis herba, tuum.  
 7 Jure tuam frondem signaris imagine cordis,  
 8 te solet inter opes cor numerare suas.  
 9 Vultibus impressum veluti regalibus aurum  
 10 partis et effigiem principis ipsa geris.  
 11 Te fugiunt pluviae, te venti et nubila mentis,  
 12 auratumque aperit pax inopina diem.  
 13 Nec Bacchus plus ipse juvat, cum rore superbo  
 14 fervidus in venas purpureusque fluit,  
 15 dulcia mortalis portans obliviam sortis,  
 16 spemque renidentem, divitiasque breves.  
 17 Nescio quid plerumque bonis turbatur in illis  
 18 visus et impuro est surgere fonte lepos.  
 19 Nec saevum occidit Bacchus, sed vulnerat hostem,  
 20 viribus iratis fortior ille redit.  
 21 At tua lene fluit, sine vi, sine faece, voluptas,  
 22 nec pungunt caudis gaudia saeva suis.  
 23 Nec nimium melli vicinus aculeus haeret,  
 24 blanda melissa, tuas non imitaris apes.  
 25 O munus caeleste datum mortalibus aegris !  
 26 O numen, curae si medicamen habes !  
 27 Infestant aliae pestes, haec possidet orbem,  
 28 hoc uno aegrotat quisquis ubique malo.  
 29 Gaudeat innumeris et abundet floribus aetas,  
 30 haec flores ipsos tingit amarities.  
 31 Circumfert humana suum natura venenum,

## COCHLEARIA

P\_1\_6 v.1 Est morbus, nomen scorbuto Saxones indunt,  
 2 Arctos late qui populatur agros.  
 3 Felix barbaricum quae ridet Graecia nomen !  
 4 Ah felix quod non cultius ipsa dedit !  
 5 Monstrum atrox ! nullum quo misit tetrius umquam  
 6 praedatum in terras vindicis ira Dei.  
 7 Centum illi horribiles, centum (mirabile !) formas,  
 8 bis centum armatas arbitror esse manus.  
 9 Inter limosas abdominis ille paludes,  
 10 sulphureas inter nascitur hydrus aquas.  
 11 Illum et desidia, et nimii peperere labores,  
 12 illum et luxuries, et dolor ipse parit.  
 13 Saepe etiam febris defunctae saevior haeres,  
 14 e cinere et sicco prosilit ille rogo.  
 15 Nascitur exiguus, facillique domabilis arte.  
 16 Hei mihi ! quam parvo tempore magnus erit ?  
 17 Sic stupet ingentem Nilus crocodilon ab ovo,  
 18 vix tantum immersis ipse stupendus agris.  
 19 Humore obscaeno et salibus nutritur adustis,  
 20 ipsi illum flatus atque alit ipse vapor.  
 21 Ille nec in cunis tentat nihil improbus infans  
 22 (desidiae o proles desidiosa parum !),  
 23 Herculei citius non incepere labores,  
 24 monstrorumque hostis monstra imitantur opes.  
 25 Qui modo natus erat, jamdudum membra fatigat  
 26 insultans, ipsa lassa quiete labant,  
 27 et languent, parentque animae non laeta moventi,  
 28 nec norunt ubi sit, cum sit ubique dolor.  
 29 Pectore deducto vix aeger anhelitus exit,  
 30 sanguine vix ripae praetereunte tument.  
 31 Mox late dat signa sui fidentior hostis,  
 32 damna nec auctorem tanta latere sinunt.  
 33 Taetra situ putri, fraudataque dentibus ora,  
 34 mortis odor foedus, mortis ubique color.  
 35 Nausaeque et vomitus, et clausi tormina ventris  
 36 et ferrugineis crura inhonesta notis,  
 37 offusaeque animo tenebrae, sensusque ligati,  
 38 quicquid et ut sibi sit vita odiosa facit.  
 39 Hoc monstrum mihi tale dedit natura domandum  
 40 (namque herbis non est monstra domare novum) ;  
 41 sic taurum vigilemque draconem vicit Iason,  
 42 non memini succis usus an ille meis,  
 43 sed vicit, rediitque potitus virgine et auro,  
 44 (eveniant medicis talia saepe precor).  
 45 Gaudebam quod dura mihi provincia cessit,  
 46 quo major, certe gratior hostis erat.  
 47 Ipsa (fatebor enim) capior dulcedine laudis,  
 48 et juvat in medicis nomen habere libris.  
 49 Invideoque illis quas magni charta Galeni  
 50 aut Coi celebrant scripta verenda senis.  
 51 Invidit merito juvenis Pellaeus Achilli,

52           dissimilis questus nec mihi causa fuit.  
 53       Cumque aliae Graeco florerent nomine plantae  
 54           (namque honor in Graeco nomine summus inest),  
 55       tunc ego litoribus crescebam inhonora Britannis  
 56           (terra Britanna quidem tunc inhonora fuit),  
 57       crescebam infelix Gothici procul accola ponti,  
 58           nec fuerat foliis vilior alga meis.  
 59       Nunc decet obscurae damnum deforme iuventae,  
 60           tam longas famae nunc reparare moras.  
 61       Et decet, et facio : nunc inclyta gloria nostri est,  
 62           et nota in terris omnibus herba legor.  
 63       Quis meruisse negat, cum nostro Marte tyrannus  
 64           vincitur Arctoo qui vagus orbe furit ?  
 65       Dicite io Paeon ! ter io sonet ultima Thule,  
 66           ter resonent Gothici litora vasta maris.  
 67       Ille ferox morbus manibus post terga revinctis  
 68           (dicite io !) currus ducitur ante meos.

#### CASSYTHA

P\_1\_7   v.1       Nec folium, cassytha, tibi est, nec caulis egenae,  
           2           nec radix ? Vitae pensilis ortus ubi est ?  
           3       Tota quidem magica es, nec jam miracula miror  
           4           plurima quae facias, grandius ipsa mihi es.  
           5       Herbarum ut capias vires, tua retia temet  
           6           tendis, venatrix et simul ipsa plagae.  
           7       O animatum aenigma ! tuae mysteria plantae  
           8           qui cantu celebret vate opus Oedipode est.  
           9       Non tu vicinas sine causa amplecteris herbas,  
 10           cum tibi sint corpus brachia sola tuum.  
 11       Stamina larga quidem tibi nent vitalia Parcae,  
 12           sed nec subtegmen, tela nec ulla datur.  
 13       Fallor, an hinc gaudes filum praebentia lina  
 14           non scrutabilibus complicuisse modis ?  
 15       O bene dilectae conjux fidissima plantae  
 16           quo nullum exemplum clarius edit amor !  
 17       Jam pudeat lascivam hederam memorare, Cupido :  
 18           illius amplexus sola libido facit.  
 19       Corpore perfruitur placito. Divortia rebus  
 20           apparent aliis, res habet illa suas.  
 21       Sunt vires frondesque aliae, nec fructus et ipse,  
 22           testis adulterii, conjugis ora refert.  
 23       Et radix aliis satiatur libera succis,  
 24           et vel adhuc nomen nupta parentis habet.  
 25       At bona de solo pendet cassytha marito,  
 26           nil habet illa suum, sed nec habere velit.  
 27       Illius et succo nutritam, et stipite fultam,  
 28           et folio ornatam se putat esse satis.  
 29       Gaudet et illius quodcumque est sumere nomen,  
 30           et fieri cunctis una eademque modis.  
 31       Tali animo Alceste fuit, et Capaneia conjux,  
 32           et paucae eximius quas celebravit amor.  
 33       Et puto te, Cassytha, mori pro conjuge lino  
 34           velle, sed eveniant prosperiora tibi.  
 35       Hic viventis amor, claram post funera reddit



36 altius humanae nomen amicitiae,  
37 quam jecori praestas splenique fideliter aegro,  
38 quos recreas victos obsidioque levas.  
39 Unde, precor, tantas tantillo in corpore vires ?  
40 Unde, precor, plantae pauperis uxor, habes ?  
41 Quis fore crediderit jecur ut medicamine tali,  
42 tam misera tantum viscus egeret ope ?  
43 Utere vel minimis, nec dedignare superbus  
44 quod servant homines parva, minora necant.

#### ABSINTHIUM

P\_1\_8 v.1 Infaustum pueris et detestabile germen  
2 credor, et a Furiis Persephoneque legi.  
3 Insanire putant medicum, vel ludere certe,  
4 in me si succum dicat inesse bonum.  
5 Sed neque femineo scio me placuisse palato,  
6 multa licet sexus debeat ille mihi.  
7 Et puto vix paucis tristem arridere saporem :  
8 hei mihi, quam paucos Jupiter aequus amat !  
9 Dulcia sola placent, sed dulciaquantus amaror  
10 consequitur, sero post sua damna vident.  
11 Longa voluptatis subeunt fastidia curtae,  
12 dilectaeque nimis nausea foeda dapis.  
13 Dat stomacho poenas, quem laeserat ante, palatum,  
14 odit et optatos, cum rediere, cibos.  
15 Tum gravis inferno spirare mephitis ab orbe,  
16 maestaque Lernaeus surgere in ora vapor.  
17 Tunc primum succos non fastidire severos,  
18 tunc et amaritiam dissimulare meam.  
19 Nec frustra ingredior stomachum, nec inutilis hospes,  
20 sed fero praesentem, numinis instar, opem.  
21 Non aliter solem recreor sentire tepentem,  
22 cum mihi post hiemis frigora longa venit.  
23 Illic saepe mihi stabulum purgare nefandum,  
24 et libet Herculei ferre laboris opus.  
25 Pondere discusso repetit sua munia laetus,  
26 et vivo stomachus percoquit igne cibos.  
27 Purpureamque avido tincturam devorat ore,  
28 nec venis operam dat chylus ille gravem.  
29 Paulatim roseum depingit gratia vultum,  
30 purgato roseus spirat ab ore vapor.  
31 Quid praestet mea planta boni Venus ipsa fatetur,  
32 nec dea tam dulcis dulcia sola probat.  
33 Illa meis prudens aspergit gaudia siccis,  
34 et cum laetitiis miscet amara suis.  
35 Scindimur herbosae studia in contraria gentes,  
36 atque habet auctores factio quaeque suos.  
37 Sunt quae defendunt Epicuri dogmata plantae,  
38 quaeque voluptatis laeve sequuntur iter,  
39 et gaudent dulces populariter edere fructus,  
40 et cingunt laetum florea sarta caput.  
41 At pars Zenonis rigidam colit altera sectam,  
42 virtutumque ferax et male culta cohors,  
43 nec pompas amat aut vana oblectamina sensus,

44           fecisse officium, non placuisse, juvat.  
45       Et nulla in terris magis est me Stoica planta,  
46           cauliculo fulta est Porticus ipsa meo.  
47       Delectent aliae, nostra est prodesse voluptas,  
48           gratia tarda quidem, sed mihi longa venit.  
49       Utilis est censor corruptae asperrimus urbi,  
50           talis ego, et talis tu, Cato noster, eras.  
51       Nec feritate tamen nec vindice fulminor ira,  
52           prudentem irasci cum schola nostra vetet.  
53       Nulla magis nostris compesco crimina regnis,  
54           et fugit aspectum bilis amara meum.  
55       Me simul ac videt ingressam stomachoque receptam,  
56           acria non humili bella parare modo,  
57       nec venis nec mille remotis ausa latebris  
58           fidere, postico territa quaerit iter.  
59       Et sequor, et fugienti insto. Vestigia fumant,  
60           et via fervet adhuc qua ferus hostis abit.  
61       Nec minus undantes exhaurio corpore fluctus,  
62           advena diluvium cum meditatur hiems.  
63       Nec magis obscaenas Belga exsiccare paludes,  
64           aut cursum obstantis vertere doctus aquae.  
65       Saepe etiam obstructis renum canalibus artis  
66           ad fontes refluunt flumina salsa suos.  
67       Prodigium infelix ! vicinis undique membris  
68           turbatur, totis et trepidatur agris.  
69       "Quid vos ignavae (sic increpo) sistitis undae ?  
70           Mecum ite, en vobis rumpere claustra paro."  
71       Rumpo. Patent, notasque suos vehit alveus undas,  
72           laetantur magno membra levata metu.  
73       Cannibales toto pello de corpore vermes,  
74           justaque cum foeda proelia gente gero.  
75       Vermis edax, certus post funera corporis haeres,  
76           differ adhuc epulas (nec mora longa) tuas.  
77       Visceribus gens illa ferox pinguescere gaudet  
78           infantum, et tenero laeta cruore tumet.  
79       Exspectare piget donec mors praeparet escas,  
80           praeripiunt avida fercula cruda fame.  
81       Quid de pulcibus ? Vitae salientia puncta,  
82           pulvereosque hostes enumerare piget.  
83       Vix mihi majores vacat enumerare triumphos,  
84           et latitant numero multa tropaea suo.  
85       Saepe vagum toto dispergitur aethere letum,  
86           atque elementa ferox occupat ipsa lues.  
87       Aegrotat tellus, aegrotat luridus aer,  
88           aegrotant alveis flumina lenta suis,  
89       et miseros vastis mors una amplectitur ulnis.  
90           Vitalis vitam (quis putet ?) aura rapit.  
91       Auxilia in tantis numen non pauca periclis,  
92           nec minimum e multis me dedit auxilium.  
93       Et saepe una feror (nec sum quoque maxima) planta  
94           bella elementorum sustinuisse trium.  
95       Non igitur frustra, nec, credo, sine omine sacro,  
96           cuncta subacturae genti in honore fui.  
97       Ipse triumphalem victor certaminis haustum  
98           germine de nostro (praemia magna) tulit.  
99       Nobilibusque tenens spumantia pocula guttis,

100 clamavit : "Merces ista valere dabit.  
101 Nec quod sit gustu minus illa placebit amaro,  
102 per quem jam vici sic labor ipse fuit."

#### NYMPHAEA

P\_1\_9 v.1 Num me caenosas contentam habitare paludes,  
2 et mistam plebi spernis arundineae ?  
3 Non ego de vulgo viridi, neque filia terrae,  
4 incolo cognatas nobilis hospes aquas.  
5 Nympha fui, dea postremae non infima classis.  
6 Venit amor. Quid tum profuit esse deam ?  
7 Flammipotens jubet ille, accendor in Hercule viso,  
8 totque triumphorum pars dea parva fui.  
9 Mirabar famam herois, fulgentiaque acta,  
10 membraque mirabar vel patre digna Jove.  
11 Et me paulatim subiit scelerata cupido  
12 ferre virum totum qui tulit ipse polum.  
13 Verum equidem fatear, noctem mirabar et illam  
14 quinquaginta animas qua genuisse ferunt.  
15 Nunc pudet, atque herbae tam foedos odimus actus,  
16 sed fuit eximiae nox ea nequitiae.  
17 Ille meos (quid multa ?) ferus decerpsit honores,  
18 ille meae florem virginitatis habet.  
19 At vagus ille Jovem fassus levitate parentem,  
20 noluit unius taedia ferre tori.  
21 Monstra subacturus, pejoraque monstra tyrannos,  
22 percurrit vindex sedulus omne solum.  
23 Sed semper monstri merces fit virgo subacti,  
24 sed semper natas ille tyrannus habet.  
25 Feminumque genus mihi jam pro pellice totum est,  
26 nec caruere ipsae suspicione deae.  
27 Ne valeam, sed et has mihi Sirius hauriat undas,  
28 et possim exusta sicca palude mori,  
29 Junonis nomen fuerim nisi torta per ipsum,  
30 crediderimque odium ni simulare suum.  
31 "Forsan et ille meos, dixi, jam ridet amores,  
32 pellicibusque feror fabula laeta meis."  
33 Vexant ira, dolor, pudor, indignatio mentem,  
34 his tamen invitis omnibus haeret amor.  
35 Visum est aeterni nisi sola morte doloris,  
36 ad finem certa quaerere morte viam.  
37 Fata obstant, sors obstat amantum dura dearum,  
38 infinitum urget vita perennis onus.  
39 Interea lacrimas fundo noctemque diemque,  
40 hac mihi clepsydra tempora longa fluunt.  
41 Fit lacus e denso tandem mirabilis imbre,  
42 et collecta meos alluit unda pedes.  
43 Siqua fides (magni quae gloria taetra doloris)  
44 gaudebam luctus fertilitate mei.  
45 At tandem aetheriis sero miseratus ab oris  
46 Jupiter : "Ipsa tuas incole, dixit, aquas."  
47 Jussit abire deae macro de corpore formam,  
48 jussa abiit, multum dempserat ante dolor.  
49 Descendit terram radix nodosa sub altam,

50 et nimium clavae me meminisse facit.  
 51 Perpetuumque bibunt folia insatiata liquorem,  
 52 ad dominam lacrimae jam rediere suam.  
 53 Candor adhuc veterisque manent vestigia formae,  
 54 pallor adhuc nostro pristinus ore sedet.  
 55 Nunc equidem totos dego genialiter annos.  
 56 Crede mihi, plantae turba beata sumus.  
 57 Nos sapimus melius solem et caelestia dona,  
 58 nos Zephyri mulcent, et tepida aura fovet.  
 59 Nectareos nobis calices Aurora ministrat,  
 60 ambrosias nullo terra labore dapes.  
 61 Certe hominum miseret, quos mille incommoda vitae  
 62 et ferus exercet, maxima pestis, amor.  
 63 Non ignara mali, veterumve oblita dolorum,  
 64 exstinguo flammam, saeve Cupido, tuas,  
 65 victoremque meum tandem vicisse triumpho.  
 66 Injusta has justum est regna subire vices.  
 67 Ne te mireris victae cessisse, Cupido,  
 68 me meus Alcides vincere monstra docet.  
 69 Et ne forte tuo credas, hilarissime nequam,  
 70 non nisi deformes posse carere jugo,  
 71 ipsius et vultus nostra medicamen in herba est,  
 72 et se formosam sponte pudica videt.  
 73 Et faciem Veneris tribuo moresque Dianae,  
 74 atque in tutela numen utrumque mea est.  
 75 Sed ne forte suas alieno nomine flammam  
 76 occultet saevus (nec caret arte) deus,  
 77 institui nullos non debellare calores.  
 78 Odi omnes, hostem me calor omnis habet.  
 79 Seu furialis, uti supera in regione cometas,  
 80 occupet insanum flamma inimica caput,  
 81 seu vaga perrumpat ventris fornacibus imi,  
 82 et fumos corpus spargat in omne suos,  
 83 seu Phlegetontas accendat sulphure venas,  
 84 seu stringat summam mitior illa cutim,  
 85 qualiscumque meis metuit concurrere succis,  
 86 perque poros omnes exanimata fugit.  
 87 Quid nictas ? quid dimidio me lumine spectas ?  
 88 Sentio, vim radix nostra soporis habet,  
 89 et puto tam longus somnos inducere possit  
 90 (si vis illa absit) sermo. Viator, abi.

#### ASPLENUM

P\_1\_10 v.1 Nec caulem natura mihi, nec floris honorem,  
 2 nec mihi vel semen dura noverca dedit,  
 3 nec me sole fovet, nec cultis crescere in hortis  
 4 concessum, et foliis gratia nulla meis.  
 5 Herba invisus deis poteram caeloque videri,  
 6 et spurio terrae nata puerperio.  
 7 Gens hominum specie rerum captatur inani,  
 8 atque oculis mentem tradit inepta suis,  
 9 pauperibusque horti numquam patet area plantis,  
 10 scilicet his regnat picta tulippa locis.  
 11 Non ita dii : Phoebus me praefert mille tulippis,

12 et Cous Phoebus proximus arte senex.  
 13 Nam cum membra suis divisit finibus auctor,  
 14 imperiumque herbis certaue regna dedit,  
 15 tum mihi prae reliquis provincia dura tributa est,  
 16 moribus ille ferox indomitusque lien.  
 17 Comprimo luctantem, saevoque humore tumentem,  
 18 aggeribus crebris obstruit ille vias  
 19 nequicquam, perrumpo aditus, commercia reddo,  
 20 et via per splenem libera tota patet.  
 21 Ni faciam, sine more furit, dirumque vaporem  
 22 victor et horribilem spargit ubique luem.  
 23 Purpureos animae crudeliter inficit amnes,  
 24 deque venenato flumine vita bibit,  
 25 et summa immundi depascunt corpora morbi,  
 26 et facies leti concolor omen habet.  
 27 Hinc lacrimae curaeque malae, vigilesque labores,  
 28 et dolor, et praecox carnificina metus.  
 29 Hinc laquei deformis amor, praereptaue fato  
 30 mors placet, hinc vitae taedia longa brevis.  
 31 Monstra piaae, precor, avertat tam turpia genti  
 32 Jupiter, atque herbae vis operosa meae.  
 33 Non male Trajanus fisco assimilare lienem  
 34 consuevit : corpus, cum tumet ille, macrum est.  
 35 Quid rides ? num Romanae quod nescia non sim  
 36 historiae ? Stipes, non ego planta forem  
 37 tempore tam longo si, tot doctoribus usa,  
 38 a tantis possim nil didicisse viris.  
 39 Et didici, et proferre tibi miracula possem  
 40 plurima, sed numquam garrula planta fui.  
 41 Propositum ut repetam, multis animalibus ipsa  
 42 immodici absumo triste lienis onus.  
 43 Creta quidem mendax, sed et illi credite, grates  
 44 de porcis referat cum mihi Creta suis.  
 45 Splene tumente gravis durisque laboribus impar,  
 46 implorat nostram pauper asellus opem.  
 47 Ille mea pastus (miseret nam pauperis) herba  
 48 assuetum repetit laetus et acer opus.  
 49 I nunc et vanos florum mirare colores,  
 50 deliciasque breves, purpureamque fugam.  
 51 Formosi laetique virent (quis denegat ?) illi,  
 52 nos tristes formam laetitiamque damus.

#### LACTUCA

P\_1\_11 v.1 Augustum sanasse olim quod diceris aegrum,  
 2 quidam inter laudes hoc posuere tuas.  
 3 Nasone infamem pulso et Cicerone necato  
 4 certe ego te nollem restituere virum.  
 5 Sed puto tu neutrum nosti, mundique tyranno  
 6 non miror si sis gratificata libens.  
 7 Utilis ipsa quidem es cunctis medicina tyrannis,  
 8 et rabies sacro frigore tacta fugit.  
 9 Cinge, precor, caput illorum meliore corona,  
 10 inque illis mundo, si potes, affer opem.  
 11 Ipse tuo quondam jussu de corde perusto,

12 ipse tyrannorum maximus exit amor,  
13 falsus amor, neque enim temptas expellere verum,  
14 qui titulum iusti regis amandus habet.  
15 Invisus merito est tibi Sirius ille Cupido,  
16 qui necat igne herbas et fera monstra parit.

#### EADEM

17 Adde oleum panemque mihi, nec deinde queraris  
18 pauperiem aestivis mensibus esse gravem.  
19 Has epulas habuit teneri gens aurea mundi,  
20 et cenae ingentis tunc caput ipsa fui.  
21 Semideumque meo creverunt corpora succo,  
22 materiam tanti sanguinis ille dedit.  
23 Tunc neque fraus nota est, neque vis, neque foeda libido :  
24 haec nimii proles saeva caloribus erat.  
25 Sit sacrum illorum, sit detestabile nomen,  
26 qui primi servae regna dedere gulae.  
27 Hinc vitiiis patefacta via est, morbisque secutis  
28 se leti facies exeruere novae.  
29 Ah ! fuge crudeles animantum sanguine mensas,  
30 quasque tibi opsonat mors inimica dapes.  
31 Posces tandem aeger, si sanus negligis, herbas.  
32 Esse cibus nequeunt ? At medicamen erunt.

#### EUPHRASIA

P\_1\_12 v.1 "Ingredere, o, oculos, hospes dulcissima, nostros,  
2 ingredere, et vati grata medere tuo.  
3 Si bene de vobis merui, si carmine in isto  
4 plantarum stabili flore perennat honos."  
5 Talibus orabam recubans in gramine maestus,  
6 cum subito ad nostros astitit illa pedes.  
7 Mirabar funginum ortum tam nobilis herbae,  
8 nam nec eam vidi nec, puto, ibi ante fuit.  
9 Dodrantalis erat fusco velamine caulis,  
10 crenatae frondes subviridesque tegunt.  
11 Stipite de medio lepide flos emicat albus,  
12 quem flavi tractus purpureique striant.  
13 Agnosco euphrasiam bello cum nomine bellam,  
14 patronae arrident lumina laeta suae.  
15 Prodigium ecce novum ! mihi flore et stipite toto  
16 annuit, et viridi talia voce refert  
17 submisit, namque est herbis mos ille modestis,  
18 nec rauca arboreae murmura gentis amant.  
19 "Florentis vates (sic incipit) unice mundi,  
20 fortia frondosae qui canis acta domus,  
21 non cuius voces herbarum audire tributum est :  
22 hoc tibi planticola pro pietate datur.  
23 Non hominum ingratos imitamur germina mores,  
24 queis vatium aeternus nullo in honore labor.  
25 Vellem equidem radix possit tibi nostra mederi,  
26 nec dubium est cives hoc quoque velle meas.  
27 At si naturae culpa immedicabilis obstat,  
28 heu ! nihil herbarum natio tota iuvat.  
29 Naturae nobis haud iussa infringere fas est :

30 servimus, domina est, quod lubet illa facit.  
31 Gaude siqua dedit, ne irascere siqua negavit.  
32 Crede mihi, parca est illa benigna manu.  
33 Sed cum debilitat morbi vis improba visum,  
34 aut vinum, aut caecus, luminis osor, amor,  
35 aut crapula, aut curae vigiles, aut putridus aer,  
36 aut quae praeterea millia multa nocent.  
37 Tunc ego non frustra poscor. Quot fundimus hostes,  
38 quas ferimus pugnas si numerare velis,  
39 ante bonus versa me proluet hesperus urna,  
40 et requieturos nectare pascet agros.  
41 Saepe ferox capitis decurrit vertice flumen,  
42 et se salsum oculi dulcibus addit aquis.  
43 Qui solet esse alibi lacrimarum fertilis auctor,  
44 hic dolor a lacrimis nascitur ipse suis.  
45 Saepe tument albae peregrino sanguine venae,  
46 et domus accensa est hospitis igne novi.  
47 Ah ! cave ne subito parvi sol occidat orbis,  
48 lumine sanguineo cum furiale rubet.  
49 Saepe observantur fumi muscaeque vagantes,  
50 et nebulas inter ludicra monstra volant.  
51 Fume, quid hic facias ? nullos prope cernimus ignes :  
52 quidve (malum !) hic sibimet musca molesta velit ?  
53 Saepe nivis falsae obruitur caligine visus,  
54 atque induta albam nox venit ipsa togam.  
55 Distantumque olim simulacra fidelia rerum  
56 saepe alio, nullo saepe colore micant.  
57 Quid memorem aegilopas et carcinomata foeda,  
58 phlyctaenasque graves, aut epicauma ferox,  
59 innumerasque ipso metuendas nomine pestes ?  
60 Et te qui nomen, fistula, dulce nimis ?  
61 Haec ego cuncta domo. Quacumque iter aethera purgo,  
62 nubila diffugiunt, subsequiturque dies,  
63 et ridet laetus diffuso lumine vultus.  
64 Quantum o laetities illa decoris habet ?  
65 Scis nostrum Arnoldum (si Arnoldum legeris umquam)  
66 vel caecos opibus restituisse meis.  
67 Restituit certe, et mea multum cognita virtus  
68 prodigio in tanto debet habere fidem.  
69 Ille quidem foliis (bene miscens utile dulci)  
70 tingere vina jubet (tingite vina) meis.  
71 Illa dabunt vere tibi lucem et pocula sacra,  
72 illa dabunt munus laetitiamque Dei.  
73 Illa puer trulla fundat tibi vina capaci.  
74 Posce, et amicarum nomina tota bibe.  
75 Et "Bene vos oculi," dicas, "oculisque propines."  
76 Illi (crede mihi) pocula nostra bibent.  
77 Sed nimium cessamus. Abi. Non immemor esto,  
78 et mea victuro carmine dicta refer."  
79 Dixit, et avertens festina evanuit herba,  
80 lector, habes vera dicta relata fide.

#### VESICARIA

2 et pudor et mentem nobilis ira subit,  
3 plantarumque genus (nisi queis praecordia Titan  
4 effinxit paucis de meliore luto)  
5 indignor non posse hiemem nec frigora ferre,  
6 sed plusquam humana vivere mollitie.  
7 O frustra patre sole et terra matre creatas !  
8 Semper et haec fixa est, semper et ille viget.  
9 Mirum deliciis ni cedant tempora nostris,  
10 pellaturque anni finibus exsul hiems.  
11 Nos Deus Elysiis mirum ni conserat hortis,  
12 ne stringat teneras aura molesta comas.  
13 Scilicet alcyones sumus, et producere fetus  
14 haud lubitum est, toto ni sit in orbe quies.  
15 Nec tantum haec parvas ignavia possidet herbas,  
16 nec repit semper dedecus illud humi.  
17 Patricias ulmos quercusque effeminat ipsas,  
18 atque anima in duro cortice mollis inest.  
19 Nec pudet haec virides Sybaritica vita gigantas,  
20 aestate in caelos scandere velle putes.  
21 Eia ! actum est, illis tergum si verterit annus.  
22 Eia ! sub terra vita gigantis abit.  
23 Hic jacet, ingenti possis inscribere trunco,  
24 pro pudor ! hic jaceas, sit tibi terra gravis.  
25 Ast ego, quae fruticis vix ausim assumere nomen  
26 (quamquam illud dederit Plinius ipse mihi),  
27 provoco terribilem pulchro certamine brumam,  
28 impavidam feriet si polus ipse ruat.  
29 Bruma venit, ventique mihi pluviaeque minantur,  
30 armata innumero milite bruma venit.  
31 Tunc fructus produco meos, ante ora tyranni  
32 expono, et dico : "Nunc age, siquid agis,  
33 funde tuos imbres, saturatas murice baccas  
34 incocto nullis diluit imber aquis.  
35 Funde nives, nivibus renitescit purpura junctis,  
36 et rubrum in puro vase toreuma placet."  
37 Sic prodest labris albi vicinia dentis,  
38 sic decorat roseas candida forma genas.  
39 Hisce rudimentis morbos victura rebelles  
40 virtutem induro consolidoque meam.  
41 Sic didici immenso perrumpere saxa labore,  
42 et tirocinium mite fuit glacies.  
43 Non etenim solas (cum de male fortibus herbis  
44 hoc faciant aliquae) vis mea pellit aquas  
45 sed lapides duros silicumque obstacula rumpo,  
46 vix penetret tales Hannibal ipse vias.  
47 Ah nimium infelix scopulum qui impingit in istum,  
48 jactaturque suis naufragus aeger aquis !  
49 Ah miser, indigenae qui urgetur pondere saxi,  
50 et dignus quem vel Sispyus ipse flectat.  
51 Ah quantum exstinctis, quantum invidet ille sepultis,  
52 impositus tantum cum premit ossa lapis !  
53 Huic ego non ferrem auxilium ? Mihi terra dehiscat,  
54 si tantum dicar non miserata malum.  
55 Tunc ego de dura genitam me rupe fatebor,  
56 et silicum venas caulis habere loco.  
57 Sed miserescio equidem, molemque liquore resolvo



58           Caucaseam, impulsu dissilit illa meo.  
59   Obstructumque diu prono ruit impete flumen,  
60           et secum adversae fragmina rupis agit.

#### RORELLA

P\_1\_14 v.1    Pol tibi se praebet nimium natura benignam,  
                  2           et vitae tempus dapsile mollis habes.  
                  3   Flos micat argento, tegitur lanugine corpus  
                  4           purpurea, et venis aureus humor inest.  
                  5   Nec non in calicem folium tibi quodque cavatum est,  
                  6           et potu numquam non tumet ille calix.  
                  7   Exsiccare illum non comessator Apollo,  
                  8           non acris potor Sirius ipse valet.  
                  9   Arentes circum despectas turgida campos,  
                 10           fluminibusque ipsis invidiosa mades.  
                 11   Et bibis, et rides sitibundos improba menses,  
                 12           hydra rebullit aquae prodigiosa novae.  
                 13   Te tuus irrorat Nilus de fonte latenti,  
                 14           et jubet invito luxuriare Jove.

#### DE EADEM

15   Abjectis hinc sume hederis tibi, Bacche, coronam,  
16           haec est temporibus dignior herba tuis,  
17   copia quam diti perfundit lubrica cornu,  
18           haeres perpetuum copia facta sibi.  
19   Sic tu, Bacche, bibis, sic non frugaliter hauris,  
20           exhaustusque tibi se cadus ipse replet.  
21   Sic tumet epotus renovato nectare crater,  
22           ambrosias celebrat cum Jovis aula dapes.  
23   Nec labor est Phrygio calices implere ministro,  
24           succurrit sibimet pro Ganymede calix.  
25   Sic bina ansati pulcherrima pocula cordis  
26           (in quibus ipse animus vitam animamque bibit),  
27   pocula divinum divini opus Alcimedontis,  
28           purpureo spumant semper onusta mero.  
29   Natura absumit sine damno prodiga censum,  
30           vena micans aufert, vena quieta refert.  
31   O radicalis plantae praedivitis humor !  
32           Quid mirum si tu languida corda foves ?  
33   Corpora quid mirum si tabescentia sistis,  
34           membraque non vano glutine firma tenes ?  
35   Quid mirum dubiae nictantem lampada vitae  
36           tam vivaci oleo si renovare datur ?  
37   Quid mirum si grata venis pulmonibus herba,  
38           et numquam exhaustis spongia gaudet aquis ?  
39   Grata ades et Veneri merito, quae plena caloris  
40           intus, et externo tosta calore, mades.  
41   Haec duo sunt elementa libidinis ipsa, calorem  
42           illa animae, humorem corporis instar habet.

#### CYCLAMINUS

P\_1\_15 v.1    Sanguine stillantem naris quae occludere venam,

2           posticae partis venam aperire soles,  
3 nec rationis eges ; nam jure Patulcius hujus,  
4           alterius debet Clusius esse loci.

EADEM

5       Ecce superbit ovans generosa vite fugata,  
6           et capite inflato vile tumescit olus.  
7 Victricem regum debellat rustica plantam  
8           brassica, sed prope te stare misella nequit.  
9       Nempe cibum medicamentis decedere fas est,  
10           inservit morbis ille, sed ista fugant.  
11 Non alias herbas moresve imitaris avara  
12           humanos, quorum mors benefacta facit.  
13 Ipsa tua frueris virtute, et viva vidensque  
14           exerces : horto tu medicina tuo.

EADEM

15       Docta mihi dederit cum Graecia nomen honestum,  
16           quod meruit folii bella figura mei,  
17 gens inimica novum cuderunt pharmacopolae,  
18           queis Graecae vocis nec sonus ipse placet.  
19 Foedorumque (nefas !) animantum injuria nostros  
20           indigno titulos stigmatem inusta notat.  
21 Non ego tam porcis, quam vobis praebeo panem ;  
22           vos estis porci quos ego semper alo.

EADEM

23       Ulcera desicco putri manantia tabo,  
24           mollitiesque cuti non aliena redit.  
25 Nec mihi duritiae vari panique resistunt,  
26           nec se munit aqua, nec satis igne tumor.  
27 Non ambustorum patior vestigia foeda,  
28           vibicum infames nec remanere notas.  
29 Nec florere diu picta exanthemata possunt,  
30           nec turpes late crescere lenticulae.  
31 Et vitiligo fugit, fugiunt et 'ephelides' ipsae,  
32           a nostro quamvis ortum habuere deo.  
33 Nec patior vultu quicquam apparere puellae,  
34           quo minus in speculo gaudeat illa suo.  
35 Fallor ? an et mollem forsitan minus obligo sexum,  
36           quod miserae relevo parturientis onus ?

EADEM

37       Igne meo falsum icterici consumitur aurum  
38           (vix equidem vero plus nocuisse datur).  
39 Per me posticis ductus canalibus ater  
40           sanguis abit, foeda, dignus abire via.  
41 Flaventem bilem, pituitam pellimus albam,  
42           frustra et uterque color cara metalla refert.  
43 Pellimus ex oculo nubem et meteora maligna,  
44           et parvo obscurat quicquid in orbe diem.  
45 Pellimus articulis saevi mala semina morbi,  
46           quaeque habet infelix uda elementa dolor.  
47 Pellimus et spinas, infixaque corpore tela  
48           tracta stupent nulla se remeare manu.  
49 Parva loquor. Membris depellimus omne venenum,

50 et mors possessa cedere jussa domo est.  
51 Duraque crescentes in vitae incommoda fetus,  
52 ac nondum miseros pellimus ex utero.  
53 "O scelus !" exclamant omnes. "Num morbus habendus  
54 hoc ipsum nasci ?" Credite, morbus hic est.  
55 Si volumus vere rationem ducere, vitam  
56 restaurare minus quam prohibere bonum est.

#### LENS PALUSTRIS

P\_1\_16 v.1 Ingentem ranam conditam lente palustri  
2 esse dapem dignam vel Jove jurat anas ;  
3 et quod tam lautam si doctus Apicius escam  
4 novisset, vel adhuc viveret ille libens.  
5 Non sumus ergo nihil, nec pondus inutile stagni,  
6 sed (mihi crede) anatis non ego nata gulae.  
7 Nec virides constravit aquis natura tapetas,  
8 futilibus ranis gratificata parens.  
9 Nascor ad humane non vilia commoda vitae,  
10 quae latuere diu nunc quoque multa latent.  
11 Currit in exiguo doctorum industria circo,  
12 et spatium anguste clausa recurrit idem.  
13 Germina quid memorem vastum dispersa per orbem  
14 quae scitur, pars est quam prope nulla mei ?  
15 Curtum aliquid scitur, majoraque dicere vellem,  
16 sed Phoebus, sed me fata silere jubent.  
17 Pauca loquar. Tosto liventes sanguine cancos,  
18 et flavae prolem bilis erysipelas,  
19 corporis et fissi parvas exstinguimus Aetnas,  
20 quocumque erumpat fomite flamma vorax.  
21 Frigore natali et genitalis viribus undae,  
22 quo sim nata loco, quaque parente, probo.  
23 Cumque dolore truci et subjecto corporis igne  
24 articulorum ollis clausa rebullit aqua,  
25 frigida ferventem compescit nostra lebetem,  
26 et rore aspersus detumet ille furor.

#### ROSMARINUS. DE MORSU TARANTULAE

P\_1\_17 v.1 Sedula, nec telis vel adhuc cessura Minervae,  
2 impendens operi viscera et ipsa tuo,  
3 unde lepos oritur tibi, Arachne Daunia, saevus ?  
4 Unde vacas tristi ridiculoque malo ?  
5 Unde vel ingenium maestae joculari nocendi,  
6 seria vel mortis ludicra pestis agis ?  
7 Ille furit quicumque tuo vix tangitur ictu,  
8 vulnera vix sentit, sed tamen ille furit.  
9 Exiguique atomus non percipienda veneni  
10 mox victrix toto corpore vasta sedet.  
11 Occupat arcanis mentem in penetralibus ipsam,  
12 et captam miseris raptat acerba modis.  
13 Hic silet, ille altis clamoribus aethera rumpit ;  
14 hic stolide astantes verberat, ille timet ;  
15 solvitur hic lacrimis, quassatur et ille cachinnis,

16 mille habitus idem, mille habet ora furor.  
17 Omnes una tenet saltandi dira voluptas,  
18 nec datur ulla quies, nocte dieque tenet.  
19 Nam pulsus simul atque resultet musica chordis,  
20 aut magicos reddat tibia plena sonos.  
21 Saltat anus tristis, saltat lethargicus aeger,  
22 saltat inaequali claudus et ipse pede.  
23 Ipse potest, hilari correptus membra veneno,  
24 saltando satyros paene necare senex.  
25 O misera, et cantu Sirenum digna chorea,  
26 cum faciat furiis mens agitata modos !  
27 O designator ludorum pessime morbe !  
28 O quantum haec intus Pyrrhica pondus agit !  
29 Talem ego, et ignoto causarum fonte fluentem,  
30 quid faciam, medici, tollere jussa luem ?  
31 Namque ita me calidus juvet et conservet Apollo  
32 (qui sanctum et vobis et mihi numen habet),  
33 obscuri (ne vera negem) sum nescius ipse  
34 aequae vobiscum quae sit origo mali.  
35 Sed cordi et cerebro (mihi quae provincia cessit,  
36 scitis, nec vobis dicere falsa juvat)  
37 agmina spirituum saepe auxiliaria mitto  
38 nostrorum, et firmo milite castra novo.  
39 Multaque se comites tanti bona germina belli  
40 jungunt, nec sub me, credo, merere pudet.  
41 Laeta melisphylla et serpentum ruta venenum,  
42 centaurea minor, Corcyriusque crocus.  
43 Tuque a pellendis nomen sortita secundis,  
44 quae renuis vinctos carmine habere pedes.  
45 Medica nec mihi malus opem fulgentibus armis,  
46 nec mea cara soror salvia ferre negat.  
47 Nec lauri myrtive aut frondiferae tamaricis,  
48 aut hederæ baccae juniperive negant.  
49 Celtica nec nardus, nec dulcis amaricus auræ,  
50 nec negat abrotonum, nec negat angelica.  
51 Plantago et sacro cognomine carduus adsunt,  
52 utilis absinthii clarus amaror adest.  
53 Semen adest daucique anisique, albique cumini,  
54 caste tuum vitex, pulchra nigella, tuum.  
55 Scorzonera venis saeculo non nota priori,  
56 tormentilla venis, et rosa rubra venis,  
57 allia nec pudet et graveolentes jungere cepas.  
58 Has ego dux acies instruo, signa canant.  
59 Indignor stomachorquæ unum, quod musica mollis  
60 arroget hanc laudem praeripiatque sibi.  
61 Ut sunt mendaces, dicent verum esse poetae,  
62 gratiaque haec dominae facta libenter erit.  
63 At fovet insanos, non curat (testor amantes),  
64 et dat stultitiae longa alimenta brevi.  
65 Hic debellando blanditur inepta tyranno,  
66 magna pars morbi est quod nimis illa placet.  
67 Pars morbi est vano quod jactant membra labore,  
68 pars morbi est, casu sed labor ille juvat.  
69 Nulla quiescendi loca sunt nec tempora pesti,  
70 motibus immodicis exagitata fugit.  
71 Nos quoque Naturae se jam relevare paranti

72           adsumus auxilio, porrigimusque manum.  
73       Hoc aliquid certe est, sed casus scilicet ipse  
74           fit medicus, morbus fit medicina sibi.

MENTHA

P\_1\_18 v.1       Ambiguus, homines, moneo, ne ludite dictis.  
2           Quis pudor humane grammaticaeque loqui ?  
3       Si ne vulgentur mysteria vestra timetis  
4           (quae bene curta via est), sit tacuisse satis.  
5       Quid tormenta juvant dubii crudelia sensus,  
6           quem subigit longus dicere falsa dolor ?  
7       Haec ego jure queror, veterumque oracula nigra  
8           stigmata inusserunt quam diuturna mihi ?  
9       Quot conjecturas movit sententia turpes,  
10           tempore qua belli me vetuere seri ?  
11       Lectorem obscuri dicti juvat esse malignum,  
12           ingenioque suo cuncta licere putat.  
13       Hinc aliquis : "Mentham bene Mavors oderit, inquit,  
14           dilectae Marti mentha inimica deae."  
15       Mars generare homines, non tantum perdere, gaudet,  
16           officii praedam materiamque sui.  
17       At Venerem enervat semenque effeminat ipsum,  
18           semimaresque facit salmacis herba viros.  
19       Adjuvat errorem (facile enutritur ut error)  
20           quod lac densari, quodque coire veto.  
21       Qua virtute vetem, tum vos, gens docta, docebo  
22           (sed certe hac sola condicione loquar),  
23       cum mihi dixeritis, quo res comprehendere mente  
24           contingat vobis, quo meminisse modo.  
25       Hoc dicam audacter. Veneris me lampada sacram,  
26           quam vitali oleo nobile semen alit,  
27       exhilarare meo, blandumque fovere calore.  
28           Quid fidum Veneri, si calor hostis erit ?  
29       Ignoremne illam nimium Proserpina novit,  
30           et purgor poena (proh ! nimis) ipsa mea.  
31       Quid ? quod nulla magis stomachum corroborat herba,  
32           nulla magis laeto digere igne cibos ?  
33       Injusta est talem nisi amet dea Cypria plantam,  
34           ingratum est grates et nisi semen agat.  
35       Ergo alias alii non parce reddere causas,  
36           et causam qui non invenit, ipse facit.  
37       Nempe recrudescunt nostro loca saucia tactu,  
38           me nova vulneribus vulnera ferre volunt.  
39       Quis pudor ? astringens mihi vis et sicca tributa est,  
40           et foedum nostra detumet ulcus ope.  
41       Sanguinis et fluxus sisto, medicarier ausa  
42           naturae ipsius vulnera facta manu,  
43       factaque serpentum, rabiosi facta levare  
44           (o quam plaga levis bellica !) dente canis.  
45       Vix memorare ausim quod ab intertrigine tutus,  
46           vel dextra si quis me gerat, esse potest.  
47       Ridetis ? patior lege hac, ridere vicissim  
48           vestra quoque ut liceat tot maledicta mihi.  
49       Quorum praetereo reliqua, atque exponere verum

50           (hic lingua in medio substitit icta sono),  
51 quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,  
52           incipiam (et virides hic maduere genae).  
53 Non ego vestrorum pars (credite) semper odora  
54           hortorum, at quondam virgo decora fui.  
55 Nigra quidem (nam me genuit Cocytius amnis),  
56           sed fuit in nigro multa colore venus.  
57 Ne quis mentiri me forte existimet, ore  
58           veridico meminit Naso poeta mei.  
59 Lucus erat maesta patri gratissimus umbra,  
60           quem tacito aeternum praeterit ille pede.  
61 Sunt illic taxique et funereaes cyparissi,  
62           et ferrugineis sylva severa comis.  
63 Hic me secreto spatiantem tramite vidit  
64           tertius inferni Jupiter ille poli.  
65 Vidit et heu ! placui. Nam vultu exardet in omni,  
66           illi forma placet candida, nigra placet.  
67 Ah ! si nescitis, deus insatiabilis ille est,  
68           et vi crudelis, non prece, semper agit.  
69 Me rapit, amplexus quamquam perterrita fugi,  
70           ne valeam ad mortem ni mihi visa rapi.  
71 Quid facerem ? saevum est et inexpugnabile numen,  
72           et fratris vires omnipotentis habet.  
73 Quid multa ? Invitam secretum ducit ad antrum,  
74           virgineoque ferox corpore perfruitur.  
75 Nescio quo casu (namque hoc siluere poetae,  
76           nec licuit tali tempore scire mihi),  
77 ecce venit scelere in medio Plutonia conjux,  
78           et mea humi miserae corpora strata videt.  
79 Nec purgare data est, nec me relevare potestas.  
80           "Semper at, illa inquit, fixa manebis humi."  
81 Dixit, et extemplo compagem diffluere omnem,  
82           et rapida sensi membra soluta fuga.  
83 Venaque radices sub terram quaelibet (ex qua  
84           cauliculus surgit mox rubicundus) agit,  
85 cauliculosque ornat florum rubicunda corona,  
86           et folia obscuro scissa virore nitent.  
87 Et bellam efficio menthae, cognominis herbae,  
88           areolam jacui quo resupina modo.  
89 At duram infernus sortem miseratus adulter  
90           (illa vel infernos digna movere deos),  
91 pro forma humana, pro virginitatis honore  
92           vim magnam foliis jussit inesse meis.  
93 Ditavitque humilem multis virtutibus herbam,  
94           quas inter dulcis vix numerandus odor.  
95 Haec bene cum veteres (ut erant certissima) scirent,  
96           religio est animis non levis orta piis.  
97 Plutoni sacram duxere, atque omen habere  
98           mortis, et hinc bello me vetuere seri.  
99 Errarunt : alios ne raptet sedula curo,  
100           neve ad Plutonem quis nisi serus eat.

#### VISCUS QUERNUS

2           prosilit e quercu sanctior ipse sacra.  
 3   Solemnes aras de caespite ponite vivo,  
 4           et totum vario sternite flore locum.  
 5   Rite deos orans pura cum veste sacerdos  
 6           astantum elatus colla manusque super,  
 7   scandat adorati felicia culmina trunci,  
 8           et veniam fruticis supplice voce roget.  
 9   Tum vero aurata demessum falce decenter  
 10          candenti excipiat candida turba sago,  
 11   et duo candentes immuni corpore tauri  
 12          lucentes tingant, victima grata, focos.  
 13   Tum laeti celebrate dapes, plaususque secundus  
 14          concutiat totum, seu gravis aura, nemus.  
 15   Hos habuit viscus diis invidiosus honores,  
 16          non Apis tantos ipse repertus habet.  
 17   Nec sibi visa minor Dodonae quercubus olim  
 18          fatidicis, viscum siqua beata daret.  
 19   Scilicet hanc veteres plantis magis omnibus unam  
 20          patronam vitae constituere suae.  
 21   Haec sola est spernit quae terrae filia dici,  
 22          regalique udam quae pede spernit humum.  
 23   Huic soli geniturae expers genitalis origo,  
 24          vel mundi ipsius qualis origo fuit.  
 25   Cumque alia humana concrecant insita cura,  
 26          naturae haec sola est insita planta manu.  
 27   Hinc et serpentum nigra exarmare venena,  
 28          et magicos (hominum dira venena) sonos,  
 29   et morbos (quam multi !) omnes superare putarunt.  
 30          Quid mirum ? Herculeum cui superare datum est.  
 31   Quis magis horribilis ? Quae forma Chimaerica morbi ?  
 32          Parte sui mors est torpida, parte furor.  
 33   Hoc superat monstrum, tamen hinc quoque posse minora  
 34          falsa quidem fuerat, sed nec inepta fides.  
 35   Credidit antiqui simplex infantia mundi,  
 36          nec (puto) tunc aevi notus elenchus erat.  
 37   Nec modo tutari, vitam dare creditus olim,  
 38          fecundumque uteri reddere viscus agrum.  
 39   Quid sterile esse potest plantae sine semine natae ?  
 40          Quid clausum, quae vel quercum aperire valet ?  
 41   In lucem immani quae prodit ab arbore nixu,  
 42          ut capite exsiluit diva Minerva Jovis.  
 43   Quod si priscorum vera est sententia vatum  
 44          (et prisci et vates sint, dubitare licet),  
 45   non miror, quoniam cognatio jungit utrosque,  
 46          fraterno si non viscus amore colit.  
 47   Ipsi homines olim rupto de robore nati,  
 48          primus (si fas est credere) viscus erant.

#### CHELIDONIA

P\_1\_20 v.1   Aspice suffuso flaventia lumina felle,  
 2           et tincta icterico turpiter ora croco,  
 3   dilectus nimium sacri color ille metalli,  
 4           ille color pulchrae gloria prima comae.  
 5   Occupat injustus cum regna aliena tyrannus,

6           taetrior, ah ! nigro est, horribilisque magis.  
7   Talem equidem formam, tam foedam mentis avarae  
8           tam flaventem oculis arbitror esse deum.  
9   Si mens auro inhiat, si solum cogitat aurum,  
10          aurigo est, auro concolor illa suo.  
11   Sed Deus hunc curet, ratioque potentior herbis,  
12          icterus herbarum postulat alter opem.  
13   Nescio quid faciant aliae, mihi credite, nostram  
14          icterus haud frustra postulat alter opem.  
15   Non ego me tantae temere ingero vana medelae,  
16          ingens suscepti muneris auctor adest.  
17   Naturae ipsius mecum diplomata porto,  
18          naturae ipsius signa manumque vide.  
19   In foliis, in caule meo, in radicibus ipsis,  
20          in toto flavus corpore sanguis inest.  
21   Felle redundantis suffusam credet, et esse  
22          jurabit, qui me dissecat, ictericam.  
23   Interea cutis est viridis mihi corpore toto,  
24          et bonus, atque herbam quo decet esse, color.

EADEM

25   Dii faciunt bona multa tibi, vocalis hirundo,  
26          atque velint sceleris non meminisse tui,  
27   quod nobis plantae docuisti nobilis usus,  
28          qui latuere hominum lumina caeca prius.  
29   A te pro cellis jam pensio larga tributa est,  
30          sub tignis nostrae quas tribuere domus.  
31   Omnia te picti comitantur germina veris,  
32          sed nullum utilius, credo, vel ipsa vides.  
33   Scilicet huic debes ipsum hoc quod cetera cernis,  
34          hoc te praecipuo germen amore colit.  
35   Te veniente alia adveniunt. Non sufficit illud  
36          officium, hoc etiam te redeunte redit.  
37   Nos huic plura tamen quam te debere fatemur  
38          atque oculorum aciem restituuisse parum est.  
39   Mille malis vitae, tormentis mille medetur,  
40          quae fortunatae non patiuntur aves.  
41   Illius adventu mitescunt tormina ventris,  
42          et cessat dentis carnificina cavi.  
43   Morbus et auratis depellitur aureus armis  
44          nomina qui regis falsa tyrannus habet.  
45   Et succrescenti florentia carne replentur  
46          ulcera sentinis exonerata suis.  
47   Et coeunt fraterna per oscula vulneris ora,  
48          nec tua tum scabies, foeda libido, manet.  
49   Et fugit ambustus cancer, fugit improbus herpes,  
50          et rubra offensi bulla caloribus abit.  
51   Morborum pigmenta abeunt, atque oscula solis  
52          cum nimium memores linquit in ora notas.  
53   Et ridet vitio vultus purgatus ab omni  
54          purior, ac speculo laevior ipse suo.  
55   O patrona oculi ! videant ut lumina pulchre,  
56          utque simul videant non nisi pulchra facis.  
57   Spectatum veniat, veniat spectetur ut ipsa,  
58          dupliciter donis femina laeta tuis.  
59   Te quoque formosi comitantur tempora veris,



## ERUCA

P\_1\_21 v.1 Vos, o legitimo quos jungit foedere lectus,  
 2 in quo cuncta licent gaudia, cuncta decent,  
 3 nostris ne pudeat foliis cenare libenter.  
 4 Non solam pascunt haec alimenta famem.  
 5 Ista dabunt tota convivia dulcia nocte,  
 6 gustatu corpus ruminat ista novo.  
 7 At vos, o juvenes casti innuptaeque puellae,  
 8 atque omnis vacui turba severa tori,  
 9 si sapitis, Veneri sacram ne tangite plantam.  
 10 Ite : pudicitiae saeva venena fero.  
 11 Ipse Cupido mea latitat, velut anguis, in herba,  
 12 et tingit succis igneus arma deus.  
 13 Hortorum praeses plus nullum germen in hortis  
 14 et colit, et pulchris donat, et ipse vorat.  
 15 Hinc reor aeternum pruris, lascive Priape,  
 16 nequitiaeque vigent arma parata tuae.  
 17 Me jubet ut vites, qui ponere quaeris amorem,  
 18 Naso, Cupidinei vulneris Hippocrates.  
 19 Sed, bene si memini, nihil ipse gulosius edit,  
 20 et voluit blando solus amore frui.  
 21 Ah vafer ! at cum tu tibi, Naso, medeberis ipsi,  
 22 tunc ego lactucis castior esse volo.  
 23 Sit donata aliis folii laus frigida casti,  
 24 in viduo somnos concilientque toro,  
 25 me juvat, o fortes ludo committere amantes,  
 26 temporaque assiduis praecipitare jocis.  
 27 Me nequam esse juvat. Juvat indefessa libido,  
 28 et nullo admistus felle meracus amor.  
 29 Non ego morborum medicamina tristia curo  
 30 (quamquam etiam morbos mi superare datur),  
 31 grata voluptatis tenerae fomenta ministro,  
 32 tolle hanc de vita, vitaeque morbus erit.  
 33 Sic ego sum, lector. Si sic placeo, utere. Sed me  
 34 Stoicidarum aptam non reor esse gulae.  
 35 Si te crassa juvant taetricorum frigora morum,  
 36 solve, precor, fatuam lente palustre famem.

## EADEM

37 Lena voluptatis foedae, discede libello  
 38 (infamis tecum est quid mihi lena ? ) meo.  
 39 Nec castas herbas castumve offende poetam.  
 40 Nam nos offendis, moecha, pudetque tui.  
 41 Cum meretrice simul veluti matrona videri  
 42 dedecorique sibi flagitioque putat,  
 43 sic dedignatur nymphaea volumine eodem  
 44 conjungi tecum, pallidaque ora rubent.  
 45 Non impune olim foliis cenata libenter,  
 46 tunc cum nympa fuit, traditur esse tuis.  
 47 Namque illa Alcidi se primum nocte misella,  
 48 te facilem nimium conciliante, dedit.  
 49 Ipse ego (quis credat ?) de te dum carmina pango,

50 et tua dum mentem stringit imago meam,  
 51 nescio quem sensi perrepere in ossa calorem,  
 52 qualem praemittit mox subiturus amor.  
 53 Ille quidem tali pugnam cum velite flamma  
 54 incipere (heu quondam res mihi nota !) solet.  
 55 Nunc invisus amor, mihi nunc insana libido  
 56 dicitur, et didici nomina vera loqui.  
 57 I, fuge, quaere alium, lasciva eruca, poetam,  
 58 Lesbia det vatem, sive Corinna suum.  
 59 Carmine tu nostro vel praetereunda, vel inter  
 60 dira venena tuum tandem habitura locum.  
 61 I, fuge, nil opus est vitia irritare molesta,  
 62 nil condimentis indiget illa fames.  
 63 Inficit accenditque (heu !) nostra alimenta Cupido,  
 64 se miscens ipsis insinuansque cibis.  
 65 Linque herbas saltem nobis, medicamina linque  
 66 integra morborum, maxime morbe, Venus.  
 67 Germina quae sexu voluit natura carere,  
 68 instrumenta operi sunt aliena tuo.  
 69 Haec tamen ipsa Venus, Venus haec convertit in usus  
 70 (o nihis artificem !), quamquam aliena, suos.  
 71 Quis tantam viridis flammam sub tegmine vitae,  
 72 assiduo pastam rore, manere putet ?  
 73 Quid mirum est, si densa inter convivia regum  
 74 luxuriae regnet certa libido comes ?  
 75 Illam inter medias latitantem repperit herbas  
 76 cum bove conviva Pythagorea fames.

## PLANTARUM LIBER II

(1204 v.)

P\_2\_1 v.1 Sacra bonae celebranda deae : procul ite, profani,  
 2 ite cachinnantes, non pia turba, mares.  
 3 Feminei secreta chori nescite libenter,  
 4 nescite, aut saltem dissimulate, viri.  
 5 Inspectare nefas generis postscaenia pulchri,  
 6 ingens quae pascit lumina scaena patet.  
 7 Tuque secunda adeo fulgentis gloria mundi,  
 8 sanctius hic fratris numine numen habens,  
 9 tu, bona Luna, fave, tu cornibus annue totis,  
 10 annue crescenti comiter ore mihi.  
 11 Tu lucentem aperis, Lucina, infantibus horam,  
 12 vitalesque uteri, Jana, tuere fores.  
 13 Morbiferi rivos educis, Mena, cruoris,  
 14 mutatosve novo currere lacte jubes.  
 15 Tu sexum regis instabilem, fideique marinae,  
 16 arbitrioque fluunt pontus et ille tuo.  
 17 Viribus arcanis quibus humida regna gubernas,

18           ingenii tumeant flumina parva mei.  
19       Sis Lucina mihi, sis fertilis Ilithyia,  
20           et cerebri curam parturientis age.  
21       Mensis erat quem diva colit pulcherrima pulchrum,  
22           laetities anni pictaque pompa redit.  
23       Convaluere aegrae, linquuntque cubilia plantae,  
24           atque exire audent sole jubente foras.  
25       Ut gaudent caelum patremque revisere carum,  
26           rupisse et tumuli vincla severa sui,  
27       et mundum, et dulces circum spectare sorores !  
28           Nec risum immerito gaudia tanta cient.  
29       Mox operi accingit sese gens sedula, blandis  
30           incorrupta bonis, officiique memor.  
31       Pro se quaeque opibus contendere strenua summis,  
32           inque dies densis altius ire comis,  
33       et folia et pulchros in lucem educere fetus,  
34           et propere humanis usibus esse pares.  
35       Ut valuere satis, mora nulla est. Rebus agendis  
36           intendunt animos, conciliumque vocant.  
37       Concilium sibi quaeque tribus (quae plurima genti est)  
38           privatim (gentis mos vetus ille) tenet.  
39       Sunt prope mille tribus, sed quid sit in omnibus actum  
40           vix bene centeno dicier ore potest.  
41       Nec mihi scire licet : gens cauta silentia servat,  
42           et sacra conventus occulit acta sui.  
43       Sed mea me laurus, quae jussa interfuit uni  
44           (illa gynaecitis nomine dicta tribus)  
45       edocuit viridis secreta negotia coetus,  
46           et quid quaeque herba est, quoque locuta modo.  
47       Vos, o humani pars blanda et florida mundi  
48           (res hic vestra agitur, nec loquor ista viris),  
49       vos dictis praebete animos, et credite quicquid  
50           nescia fallendi Delphica laurus ait.  
51       Splendebat caeli de vertice Cynthia summo,  
52           atque udo tumidus lumine vultus erat.  
53       Conveniunt plantae motis radicibus omnes,  
54           nobilis Oxonii quas sacer hortus alit,  
55       omnes feminei quibus est tutela doloris :  
56           Orpheam credas signa dedisse lyram.  
57       Conveniunt quo bella aequo nitet area circo,  
58           et se formoso molliter orbe locant.  
59       Prima sedet castae per honorem planta Dianae  
60           (concilii praeses tunc ea forte fuit).  
61       Deinde magistratu modo quae praecesserat illam  
62           optima non vano nomina dicta sedet.  
63       Occupat inde locum (casu puto et ordine nullo)  
64           arridens laetis blanda melissa genis,  
65       thymbraque, serpillumque, orisque absinthia torvi,  
66           asparagusque, duplex abrotonumque genus.  
67       Tu, croce, adhuc teneris gaudens servire puellis,  
68           nunc hilaris, quondam tristis amator, ades.  
69       Quique magis stulto tabescis, amarace, luctu,  
70           nunc causa exitii suavior ipsa tui.  
71       Candida paeoniam comitantur lilia rubram,  
72           additur et violae purpura tincta recens.  
73       Seque laser foetens tam dulci jungere turbae

74           audet, virtutis conscia planta suae,  
75 et plenam portans lactuca sub ubere mulctram,  
76           et quamvis Cypriae, Nympha, inimica deae,  
77 et grave marrubium bene-olenti baccare junctum,  
78           atque uteri madido scordia laeta solo,  
79 et polium et calamintha, habitantia montibus ambo,  
80           ambo sed ad frigus vellere tuta suo,  
81 et bene juncta bonae vitalis salvia rutae,  
82           quaeque arcus titulum multicoloris habet,  
83 et seselis, cervis dictamno gratior ipsa,  
84           exiguoque potens semine daucus adest,  
85 consolida et plantago salubris, germina frugi,  
86           quaeque solent firmis cuncta tenere seris,  
87 imperiumque suum regali nomine signans,  
88           et regum titulis altior angelica,  
89 spicaque, pulegiumque, accline brevesque anemonaee,  
90           atque Epicureae nobile felis olus,  
91 atque abiga arrepsit tardo molimine tandem,  
92           vix humilem terris ausa levare pedem.  
93 Venit, nec miror quod venerit, anthemis illuc,  
94           per lapides ruptos invenit ille viam.  
95 Venit ab Hispanis felix vettonica silvis,  
96           quae gentis magnae gloria sola manet.  
97 Virginibusque favens pia virginis herba Minervae,  
98           et germen venit Mercuriale comes.  
99 Venit erythrodanus, radicis syrmeta longae  
100           post tergum proprio murice tincta trahens.  
101 Dictamnus venit boreali frigore quamvis  
102           tardigrada, et Creta tristis abesse sua.  
103 Et nimium immodicis cyclaminum viribus audax,  
104           et (liceat tandem dicere) centum aliae,  
105 multaque quae extremis advecta videntur ab Indis,  
106           de nostro multum germina questa polo.  
107 Sed fama Oxonii, vel utrosque vagata per Indos,  
108           solatur curas, exiliumque levat.  
109 Haec inter steterunt aequalibus intervallis,  
110           et supra virides explicuere tholos,  
111 et genus arboreum, et fruticum Pygmaea propago,  
112           et visa est crenis bella corona suis.  
113 Phoenicios portans vermes pro fructibus ilex,  
114           Hesperidum auriferis invidiosa jugis,  
115 stabat, femineis morbis et luxibus apta.  
116           Quid disjungo illos ? Morbus habendus hic est.  
117 Hanc hedera intexit ditem fallacibus ulnis,  
118           blanditiisque malis arboricida necat.  
119 Stat juxta invidiam coccis factura superbis  
120           murice mox floris nobiliore rosa,  
121 nec procul extendit ramos betula severos,  
122           et scelere humano saepe sabina nocens,  
123 et patulo amplexu, te dignaque, Tityre, fagus,  
124           quique meretur emi vilis ubique rubus,  
125 malus et auratis pretiosa cydonia pomis,  
126           et medicina homini vulnere myrrha suo.  
127 Postremo (indictae mihi quaeso ignoscite plantae)  
128           juniperusque ferax, sacraque laurus adest.  
129 Talis erat viridis species reverenda senatus.

130           Nox est, ventus abest, contio tota silet.  
131   Exspectant, tacitaeque arrectis frontibus astant :  
132           se levat, et praeses Parthenis orsa loqui.

#### ARTEMISIA

P\_2\_2   v.1    "Post longa hic, matres conscriptae, frigora tandem  
          2           (sit felix generi nostro hominumque precor)  
          3   in sancto solitoque frequentes adsumus horto,  
          4           et sacri mensis nox celebranda sacra est.  
          5   Gratia sit tibi, Phoebe pater, tibi maxima nutrix  
          6           Cynthia, quae dictis lucida testis ades.  
          7   Sed libertatis momenta fugacia curtae  
          8           (namque dies mox nos orta refiget humi),  
          9   nec nihilo, nec vos vano sermone teramus,  
         10           nec ludis : homines sic sua festa colant.  
         11   Vivere nunc aequum est vere, nam frigida bruma  
         12           dimidium vitae (mortis imago) tenet.  
         13   Ergo agite, utilibus nunc aequum incumbere curis,  
         14           longa quiescendi tempora bruma dabit.  
         15   Quot dederit vobis subigendos Jupiter hostes,  
         16           et quantum officii sustineatis onus,  
         17   expertae multis magnisque laboribus estis,  
         18           oppressisque piam saepe tulistis opem.  
         19   Nec certe exiguo generosis gloria plantis  
         20           debuit, et sexus gratia mollis emi.  
         21   Bella gerenda manent eadem, semperque manebunt,  
         22           dum tumidi infantes pondera ventris erunt.  
         23   Bella manent, sed quo felicius illa gerantur,  
         24           scire decet nostras, et decet hostis opes.  
         25   Dicite vos, longus quas edocet usus utrumque,  
         26           ingenue vestras dicite, et hostis opes.  
         27   Dicite teste dea, quae nos videt aurea, verum,  
         28           et ferat haec patriae quaeque tributa suae.  
         29   Et doceat discatque volens. Sit nulla docere  
         30           invidia, et nullus sit didicisse pudor.  
         31   Prima meretur agi quae nos tam saepe recursans  
         32           sanguinei exercet menstrua cura mali.  
         33   Femineus quo fonte ruens, quo sidere fretus,  
         34           fecundum toties Nilus inundet agrum.  
         35   Quid fluvium premat immodicum, impellatve morantem,  
         36           et bona quot secum, quantaque monstra vehat.  
         37   Pandite secreto mysteria clausa recessu,  
         38           nec vos rem tanti credite turpiculam."  
         39   Dixerat, incipiunt reliquae, studioque calenti  
         40           propositum (ut doctis mos) agitatur opus.

#### PULEGIUM

P\_2\_3   v.1    Pulegium, sua quo virtus celebratior esset  
          2           (et dicentis odor gratus ab ore venit),  
          3   explicuisse ferunt quot tristia damna minetur,  
          4           purpuream sistens rivulus ille fugam.  
          5   Succedunt gravitas membrorum udique tumores,

6 fertque suum corpus non patienter onus.  
7 Succedunt placitarum olim fastidia rerum,  
8 ipsius et vitae nausea taetra subit,  
9 ulceraque, et putres ruptis fornacibus ignes,  
10 et vomitus mixto sanguine terribiles.  
11 Nunc labor atque uteri nequicquam pugna furentis,  
12 et mortes anima mox titubante breves.  
13 Pectore tardus nunc domito vix spiritus exit,  
14 mox omnes artus tussis anhela quatit.  
15 Ipsa etiam victor scandit Capitolia mentis,  
16 et cerebri gyros occupat hostis atrox.  
17 Hinc vigiles noctes, vigiles sed somnia terrent,  
18 veraque mens patitur dum mala, falsa creat.  
19 Jactatamque diu serus vitam obruit hydrops,  
20 atque anima e mersa naufraga puppe natat.  
21 Ah quoties verno gemmantes flore puellas  
22 (multa sagittifero jam meditante deo)  
23 hic ferus exurit subita rubigine morbus ?  
24 Flet deceptus amor, tristis amator abit.  
25 Inficit ora virens, ipsa inficit oscula pallor,  
26 tingit ut afflatas sulphuris aura rosas.  
27 Carbones cineresque vorant gypsumque tenacem.  
28 O foeda, et vere jam malesuada fames !  
29 Non edit haec virgo, scelus est dixisse, sed illa  
30 in jejunanti virgine morbus edit.  
31 Haec ubi pulegium (sed multa pathetica verbis  
32 addidit, humano non referenda sono)  
33 dicitur, ut misera de virgine mentio facta est,  
34 concilium lacrimis commaduisse piis.  
35 Non aliter currum luna fugiente diurnum  
36 discessum dominae flet bona turba suae.  
37 Addidit et causas qua vi, quo tramite caeco  
38 perreptet victrix omnia membra lues.  
39 Ille ferox (ait) humor ad ostia nota secundo  
40 pulsantis venae flumine pronus abit.  
41 Sive illum virtus uteri magnetica sugat,  
42 ut ren totius corporis haurit aquas ;  
43 Cynthia seu cursum, rerum regina fluentum,  
44 dirigat, aequoreas qua regit arte vias.  
45 Sed clausas uteri si repperit obice portas,  
46 legitimumque illi forte negatur iter,  
47 tum furit, exacuitque aestum, pars crassior haeret,  
48 vicinisque movet bella nefanda locis.  
49 At pars mobilior sursum se attolit, et audet  
50 in venas puri sanguinis ire comes.  
51 Latro comes roseos corrumpit luridus amnes,  
52 quaque fluit, ripa marcet utraque solum.  
53 Vitalique cavae defertur letifer alveo,  
54 obsessoque ferox hepate corda petit.  
55 Corda tumens tantis dexter successibus intrat,  
56 ingenti trepidant funditus illa metu.  
57 At regio ulterior medii munimine saepti,  
58 et tutam vallo se putat esse suo.  
59 Heu mora parva mali ! Pulmones occupat ille,  
60 sentit et arctatum spiritus aeger iter.  
61 Inde via prona parvaque Propontide vectus,

62           invadit laevi regna remota sinus.  
 63    Quid satis est morbo, cui cor non sufficit ipsum ?  
 64           Omnia ni teneat, pauper avaritia est.  
 65    Torrentem ingreditur fluviorum regis aortae,  
 66           hei mihi ! tum nullo more modoque furit.  
 67    Nec situs aetherius capiti est pedibusve profundus  
 68           auxilio, effrenis victor ubique meat.  
 69    Scilicet ut torro diffusus corpore sanguis,  
 70           diffusa in toto sanguine pestis inest.  
  
 71    Assensere omnes, neque enim dubitatur ab ullis  
 72           purpureus vitam quo rotet orbe labor.  
 73    Exciperent risus frondosaque sibila plantam,  
 74           veracem Hervaeum siqua negavit adhuc.

#### DICTAMNUS

P\_2\_4   v.1    Dictamnus, quamvis constringant frigora fauces,  
           2           injecta propere se levat endromide.  
           3    Nam declamandi si se bella offerat ansa :  
           4           quid prohibere potest germina Graeca loqui ?  
           5    Pulegiumque illi tanti miracula morbi  
           6           rhetorice visum est explicuisse parum.  
           7    Arripuit quicquid cognata reliquerat herba,  
           8           et docta sibimet garrulitate placet.  
           9    "Si nondum infandi quae sit vis saeva veneni  
 10           scitis, dum calido corpore fota latet,  
 11    vobiscum reputate precor quid corpore pulsa,  
 12           quid sola, exsul, inops, mortua pestis agat.  
 13    Illam errore malo gustent hominesve canesve,  
 14           (inque canes potius tam malus error eat),  
 15    protinus humanam invadit vesania mentem,  
 16           et totam incrustat sordida lepra cutem.  
 17    At canibus rabies succedit hiantibus atra,  
 18           et sitis ardentes et timor urget aquae.  
 19    Illa (nefas dirum !) praegnantibus illita partum  
 20           semihominem jugulat praecipitemque trahit.  
 21    Credite nunc pueros tali de sanguine natos,  
 22           sic format fetus, sic alit ille novos.  
 23    Nec satis hoc : illo seges alma et vitis abortum  
 24           afflatae faciunt et sterilescit ager.  
 25    Ipsa etiam, gravida est si fructibus, arbor abortit,  
 26           si virgo aegrotat, si modo nata, perit.  
 27    Vos, hederæ, testor (quis enim pudor acta fateri ? )  
 28           Quid vos tum folii vis medicata juvat ?  
 29    Teque, venenorum victrix celeberrima, ruta,  
 30           luctantem cogunt tanta venena mori.  
 31    Arescunt autumnali flavedine plantae,  
 32           et maesta ictericus germina tingit odor.  
 33    Ille fugat cives tactis alvearibus aegros,  
 34           it vaga, et iratum murmurat exsul apis.  
 35    Linqvit opes misera auratas, longosque labores,  
 36           et structa artifici dulcia tecta pede.  
 37    Nec sua defendunt latitantem dolia Bacchum,  
 38           lanquentisque senet prima juvena cadì.

39 Parva loquor : non se defendit belliger ensis,  
 40 sed cedunt molli dura metalla lui,  
 41 fit sanguis toties effusi sanguinis ultor,  
 42 et jam mutata vulnerat arma vice.  
 43 Saepe viris causa est belli, gladiosque repostos  
 44 femineum exacuit forma venusta bonum.  
 45 Femineum ergo malum gladios obtundat eosdem,  
 46 obtundat tanti vel meminisse mali.  
 47 Ah ! nimium mulier facie confisa superbit,  
 48 ah ! nimio illa nimis se putat esse deam.  
 49 Viribus immodicis, heu ! non civiliter usa  
 50 mittit adorantes sub juga saeva viros.  
 51 Tu vero humanas, dea non purissima, sordes  
 52 respice, et esto memor quid tibi luna ferat.  
 53 Inspice tunc speculum, quo nunc decepta ferocis,  
 54 tunc vere quam sis pulchra videre potes.  
 55 Tunc corruptorem corrumpis dira nitentem,  
 56 et diuturna tui certaue signa gerit.  
 57 Tunc furia, propriaeque venefica imaginis audis  
 58 quanta lues ! Umbrae pestifera ipsa tuae !"

59 Sic ait, utque erat in cursu, parat addere multa,  
 60 sed totum dicunt obstrepuisse chorum.  
 61 Perque omnes ramos et per folia omnia circum,  
 62 tamquam indignantum, non leve murmur erat.  
 63 Namque ibi femineo multum indulgetur honori,  
 64 et visa est temere verba profana loqui.

#### PLANTAGO

P\_2\_5 v.1 Plantago assurgit nervo septempllice fulta,  
 2 plantago insignis gloria prima domus.  
 3 Styptica gens illi est, quam gentibus haematagogis  
 4 infensam virtus ambitiosa facit.  
 5 Sed sat habet levibus dictis tenus ire simultas,  
 6 et numquam humano perfurit illa modo.  
 7 "Magna (nec invideo) certe laus maxima vobis,  
 8 gentis hirundineae stirps numerosa, datur.  
 9 Purpureum merito depellit arce tyrannum,  
 10 ejicitur patria jure homicida cruor.  
 11 Formosam imperio vitam premit ille superbo,  
 12 cogit et insultans multa nefanda pati.  
 13 Lurida letalis circumfert arma veneni,  
 14 et comites morbos, agmina longa, trahit.  
 15 Sed quid opus justo superaddere vana timori  
 16 terricula, et magnum magnificare malum ?  
 17 Dum nimium tragice saevum depingitis hostem,  
 18 horribilis magis est, credibilisque minus.  
 19 Heroem minuit fictis quem laudibus auget,  
 20 et demit verae gloria falsa fidem.  
 21 Geryonem occidit, factum memorabile ! at ille  
 22 tergeminus fuerat, jam dubitare licet.  
 23 Sed facile est vobis monstrum quodcumque domare,  
 24 sed nobis monstrum credere difficile est.  
 25 Legisti Graecos nimium, dictamne, poetas,



26 legisti, atque artem te didicisse puto.  
 27 At mihi crede, tuis quid de popularibus unus  
 28 dixerit, illorum te meminisse decet.  
 29 Sit dea rubigo, segetem tamen arbitror almam  
 30 non ita corrumpit mensibus illa suis.  
 31 Et pleno nocuisse cado plus mille puellis  
 32 unius certum est ora bibacis anus.  
 33 Nec furit hoc quisquam gustato sanguine, multos  
 34 efficit insanos sed locus unde venit.  
 35 Nam curare canis rabiosi vulnera certe  
 36 ille tuus nimium Plinius auctor ait.  
 37 Feminum si vitet apis perterrita tactum  
 38 nescio, sed tactum femina vitet apis.  
 39 Fatalem in venis sineret stagnare cruorem,  
 40 a pulso siquidem ruta necanda foret.  
 41 Tu quoque deberes melius tibi, Bacchica planta,  
 42 atque corymbifero consuluisse deo.  
 43 Nam quod ait rigidos gladios ferrumque retundi,  
 44 dii bene, si pestis summa sit ista bonae.  
 45 Atque utinam facies pulchra incorrupta maneret,  
 46 corrumpat speculum donec et illa suum.  
 47 Sed quid ago ? Satis haec miracula Graeca refellit,  
 48 femina quod tanto non perit ipsa malo."  
 49 Occupat hic (dictis ut gaudet semper acutis,  
 50 et spinam in lingua fertur habere) rubus.  
 51 "Non tantum his, aliis datur et serpentibus, inquit,  
 52 ut sua ne noceant saeva venena sibi.  
 53 Nec perimens vultu basiliscus cuncta, periret  
 54 si vultum in speculo cerneret ipse suum."

55 Subrisere, levique omnes tremuere cachinno,  
 56 a vento credas praetereunte quati.  
 57 Nam Cynico frutici libertas magna dabatur,  
 58 hanc usu propriam fecerat ille sibi.  
 59 Plantago interpellari stomachata resedit,  
 60 et pulchro incepit protinus ore rosa.  
 61 Dicentisque pudor faciem commendat honestus,  
 62 gemmantem verno flore rubere putes.

#### ROSA

P\_2\_6 v.1 "Tam fera femineo quae toxica sanguine misces,  
 2 cretica (nam nostram tangere nolo rubum),  
 3 aspice quam vivo saturetur murice vultus,  
 4 quamque ardens cytini fulgeat ore decor.  
 5 Aspice quam nullus nec flos nec flora sit ipsa  
 6 mollior illarum candidiorve cute.  
 7 Et ferrugineas juxta simul aspice formas,  
 8 tectaque echinato cortice membra virum.  
 9 Horrentem dices violetis crescere ruscum,  
 10 plorabisque feris lilia mixta rubis.  
 11 Sit tibi tum ratio iudex, sint lumina testes,  
 12 an pura impurus corpora sanguis alat.  
 13 At tu tinctoris vitiatum crede lebetem  
 14 decolor unde venit, non satur unde colos.

15 Si nihil hic peccat, dices, justissima nollet  
16 insontem patrio pellere Luna solo.  
17 Hic nihil in vitio est, sed copia peccat, et illum  
18 publica (quae summa est lex) jubet ire salus.  
19 Sic si forte olim numerosas proles abundat,  
20 nec populis regio sufficit ipsa suis,  
21 haud illi indignum est alias dimittere partem  
22 quaesitum terras, exiliumque pium est.  
23 Sed plusquam satis est cumulat cur femina ? Crede,  
24 naturae numquam prodiga luxuria est.  
25 Contenta est paucis, nec, avari more nepotis,  
26 congerit immensas, ut male perdat, opes.  
27 Certe opus est facto quicquid facit illa. Quid ergo ?  
28 Non locus hic dubio, res tibi testis adest.  
29 En toto ut durat vindemia sanguinis anno,  
30 pressus et assidue dat nova vina chylus.  
31 Plena tument semper reparato torcula succo,  
32 quem calida et sitiens mascula vita bibit.  
33 At mulier de fonte suo moderatius haurit,  
34 frugalisque penum non vorat omne calor.  
35 Vitalem in magnos thesaurum congerit usus,  
36 naturam humanam decoquere ille vetat.  
37 Neve ea sufficeret generando symbola nato,  
38 quam confert mixto semine uterque parens,  
39 ni pia mantissam vellet superaddere mater,  
40 perficeretque sui larga cruoris opus.  
41 Nempe cruore rubens, at candens semine constat,  
42 et pars principium concolor omnis habet.  
43 Hoc ligna, atque illum lapides praebere putares,  
44 vivaque conjunctis surgit utrisque domus.  
45 Ille veneficii reus actus, letifer ille,  
46 cui tu Nessaeum virus inesse putas  
47 (et mirum est sane nisi vestem tinxerit illo  
48 qua miserum occidit Deianira virum),  
49 componit teneri sanguis primordia fetus,  
50 et dat per menses blanda alimenta decem.  
51 Nec satis hoc illi, cara inter brachia matris  
52 hospitis occurrit rursus ad ora sui.  
53 Mutato occurrit mutatus tramite et ipse,  
54 secretam emensus qualem Arethusa viam,  
55 mammaramque duplex gemino de fonte resurgit,  
56 flumine vel ripis candidiore suis.  
57 Potavit tales olim gens aurea rivos,  
58 felicitas tales reddidit uber agri,  
59 simplicitasque virum, candorque et lactea corda  
60 infantum facili digna fuere cibo.  
61 O justa et prudens naturae cura parentis !  
62 quam propria aetati pabula cuique dedit !  
63 Cum nondum jecoris perfecta operaria cella est,  
64 matre laboratus pignora sanguis alit.  
65 Cumque modo ornata novus ignarusque taberna,  
66 vix sua noscit adhuc munia tiro calor,  
67 mite rudimentum tingendi murice lactis  
68 (discenti pensum quam puerile !) datur.  
69 Materia victor se tandem exercet in omni,  
70 gaudet et impensis luxuriare suis.

71 Dicite nunc taetrum membris cumulare venenum,  
72 quo dulces fetus provida mater alat.  
73 Propinant durae pueris aconita novercae,  
74 alma parens haurit de meliore nota.  
75 Unde sed infanti tam (quaeres) utilis humor,  
76 tot morbos matri tantaque damna ferat ?  
77 Ille quidem prodest natali vividus alveo,  
78 egestus venis exanimisque nocet.  
79 Ille quidem egestus vicino litore torpet  
80 naufragus, efferris mortuus ille velit.  
81 Hoc fortuna negat ? Se vindicat ipse relictus,  
82 omniaque infesto membra vapore replet.  
83 Sed (puto) maturi sapiant quid ab arbore fructus  
84 indicium praebent, cum putruere, malum.  
85 Candida sic vitae domus est in semine puro,  
86 semine corrupto mors stabulatur atrox.  
87 De vita mors est testis non aequa, nec ipsum  
88 crede oluisse hominem, quale cadaver olet.  
89 At tu legitimo labentem tempore rivum,  
90 cum nulla vitium traxerit ille mora,  
91 non minus affirmas, dictamne severa, nocentem,  
92 nec morbos morbo ferre, sed ingenio.  
93 Ne tibi cuncta negem (memoras quae plurima) monstra  
94 (quae vel falsa quidem, vel bene rara puto)  
95 corpore siqua latent abstrusae semina pestis  
96 (corpore in humano qualia saepe latent),  
97 una eademque opera fugat haec natura, cruori  
98 porta redundant cum reserata patet.  
99 Hinc forte accipiunt alienum menstrua virus,  
100 et comites fraudi est non habuisse bonos.  
101 Sanguinis haec culpa est ? Non sum ipsa venefica, si quis  
102 cum succo biberit mixta venena meo."

103 Dixit, et ambrosium dictis spiravit odorem,  
104 sed multas contra disseruisse ferunt.  
105 Phoebeae tandem petitur sententia lauris :  
106 Phoebeae laurus verba habuere fidem.

#### LAURUS

P\_2\_7 v.1 "Quae sors magnorum est (inquit) non rara virorum,  
2 o famose cruor, contigit illa tibi.  
3 Plus aequo culpantur ab his, laudantur ab illis,  
4 nec mediocre odium est, nec mediocris amor.  
5 Hic praejudicio mentitur, et ille favore,  
6 rumoresque omnes discolor aura ferit.  
7 Dictamnum auditis ? Nullo non femina mense  
8 deducit lunam saga veneficiis,  
9 nec miscere herbas opus, aut fatalia verba.  
10 Medea esse potest sanguine quaeque suo.  
11 At siquid veri pulchro rosa protulit ore,  
12 quaeque suo mulier sanguine diva bona est.  
13 Purpurea hinc tenerae suspendit stamina vitae,  
14 subtexitque operi justa alimenta rudi.  
15 Sed, cui cara feror, nisi me deludat Apollo,

16           simque sacrum frustra cingere sueta caput,  
17       nec format talis, nec nutrit corpora sanguis,  
18           nequicquam falsa laude triumphat iners.  
19       Quae me multa movent non hic memorare necesse est,  
20           unum hoc multorum pondus et instar habet.  
21       Nam mulier cunctorum animantum sola reperta est  
22           quam vena immodico menstrua fonte rigat.  
23       At pecus omne tamen parit intra viscera fetus,  
24           vincit et humanum fertilitate genus.  
25       Quot (monstrum !) exiguus fertur peperisse simul mus !  
26           Paucaque Trojani pondera ridet equi.  
27       Quantum o montosus circumfert molem elephantus ?  
28           Visus et est utero turriger esse suo.  
29       Fertilitate tuos, Lucina, cuniculus orbes  
30           paene aequat, vix tu saepius ipsa tumes.  
31       Nec tamen hunc fetum thesaurus sanguinis ullus  
32           pascit, venarum nec reserata penus.  
33       Nempe in conflictu sexus utriusque jocosus  
34           scintilla excutitur corpore viva maris,  
35       quam medio tute latitantem in semine sugit  
36           vis uteri sitiens, interiusque rapit.  
37       In cellam rapit arcanam implicitosque recessus,  
38           discidentum oculis vix adeunda loca.  
39       His virgo in thalamis animae scintilla recumbit  
40           femineae, ac pleno nubilis igne viget.  
41       Jungit utrasque Venus, et connubialia sese  
42           incipiunt mixta puncta movere face.  
43       At circum rubor attritu motuque duorum,  
44           et sanguis, signum virginitatis, adest.  
45       Ut placuit florens, inventum nobile, sanguis !  
46           et semel inventis addere prona via est.  
47       Neve augere labor minimum quem eliseris ignem  
48           in promptu fomes si satis aptus erit.  
49       Non opus est alios flammaram inducere rivos,  
50           hoc fulvas tactu gignit 'elixer' opes.       (verbum Arabicum)  
51       Adsit materies, et non dignabitur ulla  
52           aeternis Vestae cedere flamma focus.  
53       Guttula sic crescit primi generosa cruoris,  
54           et spernit facto sanguine fortis ali.  
55       Album principio nativi seminis haurit,  
56           atque opibus laeta est aedificare suis.  
57       Hae cum deficient, tum vita operosior exit,  
58           et bene maternam sedula poscit opem.  
59       Materiam poscit, sed quam sibi praeparet ipsa,  
60           et puram roseo murice tingat agens.  
61       Namque uteri plenis haerescens lacte mamillis  
62           venarum multo jugiter ore bibit.  
63       Aspice vitales modo natum in luminis oras,  
64           quam promptus lactis nota alimenta petit ?  
65       Blanditias mammis facit, arridetque papillis,  
66           et gaudet veterem se reperisse dapem.  
67       An pascet prolem natura cruore tenellam ?  
68           Proh scelus ! haec morum saeva elementa dabit ?  
69       Tale rudimentum quid mirum si genus ipsum  
70           efferat humanum, cannibalesque facit ?  
71       Non illaudati mirarer facta Neronis

72           impia, nec furias, tristis Oresta, tuas,  
73       si deus infantes materno sanguine nutrit,  
74           et primam miseris hanc iubet esse sitim.  
75       Restat adhuc causam fluxus aperire rubentis,  
76           qui tanta fontem religione regit.  
77       Femina bruta parit, catulosque in ventre saginat,  
78           nec venas ideo tundere luna solet.  
79       Pro causa quaerendum aliquid quo sola superbit,  
80           quod proprium mulier praecipuumque tenet.  
81       Atque hoc occurrit solum mihi multa putanti,  
82           quod superat forma molitiaeque virum.  
83       Non equa vincit equum, non taurum vacca, sed ista  
84           si digna est Io, dignus et ille Jove est.  
85       Si leo tu torvus visu, tua torva leaena est,  
86           terribilesque minus non quatit illa jubas.  
87       Nec magis ursa rudi concinne lambitur urso,  
88           nec nitido magis est apta figura polo.  
89       Femina nec tigris macula est ornatior una,  
90           et sus fulmineo conjugue foeda magis.  
91       Non avis incultum ridet decorata maritum,  
92           peniculo aequali pingit utrumque Deus.  
93       Mollities candorque idem commendat olores,  
94           nec sexum aspectu Leda vel ipsa sciat.  
95       Quid ? Gracilisne magis, vel bella est femina piscis,  
96           squamarumve auro nobiliore nitet ?  
97       Se satis hic armat nudo Venus improba sexu,  
98           addere nec formae tela necesse putat.  
99       Nulla sagittiferis oculis victoria parta est,  
100           rem peragit totam conciliator odor.  
101       At gentem humanam formosior ignis adurit,  
102           nec rationis egens, nec sine luce calor.  
103       Nec facit hunc coitus brevis et caenosa voluptas,  
104           ah ! pereant quibus haec sola vocatur amor.  
105       Larga venustatem tribuit natura puellis,  
106           et nivei blandas corporis illecebras.  
107       Aurataque viros voluit retinere catena,  
108           et frenare vagos dulcibus imperiis.  
109       Nec solum incestas turpissima pascere membra,  
110           sed spectantum oculis gaudia casta dare.  
111       Sanguinis hinc partem, pressura novissima tandem  
112           quem facit, et duri vilis amurca chyli,  
113       quaeque pilos abit in tristes barbamque ferocem,  
114           densataeque infert nubila fusca cuti,  
115       derivare omnem voluit de corpore pulchro,  
116           laxatasque dedit Lunae aperire vias.  
117       Quod si impura suis decurrere flumina rivis  
118           fors vetet, et magnus digerat ille calor,  
119       paulatim formam mulier solidata virilem  
120           induit, et stupor est qui fuit, Iphi, tuus.  
121       Sic Phaethusa pilis sibi totum horrescere corpus  
122           mirata est, densas et fruticare genas.  
123       Saepe manum damnans speculum sibi poscere testem,  
124           et speculum damnans saepe referre manum.  
125       Ipsa diu proprio est infelix territa vultu,  
126           ipsa diu infelix territa voce sua est."  
127       Haec et plura quidem (sed quis pote cuncta referre ?)

128           veridico edocuit laurus amata deo.  
129       Hinc aerumnosi dura ad miracula partus  
130           se via sermoni praebuit ipsa ducem.  
131       Obstetrixque loqui iussa est Junonia planta,  
132           quae meritum a lochiis Optima nomen habet.  
133       Arrexit caules, et non invita locuta est,  
134           nec piguit proprium commemorare decus.

#### ARISTOLOCHIA

P\_2\_8   v.1       "Et florem et baccas virides, et semina fundo,  
          2           patronamque uteri non sterilem esse decet.  
          3       Sed magis est alte mea summa recondita virtus,  
          4           et fructus radix maximus ipsa mihi est.  
          5       Hanc natura uteri signavit cauta figura,  
          6           nec passa est vires dissimulare suas.  
          7       Inde vocor terrae malum, tam nobile malum  
          8           non ipse Hesperidum lucidus hortus habet.  
          9       Dignius hoc tolli (tu, nupta, fatebere) cursum  
         10           quam quod tardavit, pulchra Atalanta, tuum.  
         11       Hinc proprio fovet amplexu, nec pondera tanti  
         12           ausa est arboribus credere mater humus.  
         13       Neve in me partus solventem molliter omnes  
         14           mirandus terrae est omniparentis amor.  
         15       Non falsus fuit ille animi qui carmine dixit :  
         16           Praesentem monstrat quaelibet herba deum.  
         17       Nec falsa Aegyptus coluit sanctissima quondam  
         18           florenti virides quae pietate deos.  
         19       Roma, quid indulges ronchis ? Nascuntur in hortis,  
         20           nascuntur campis numina densa tuis.  
         21       Quid seges est nisi flava Ceres, et vitis Iacchus ?  
         22           Vestiturque deis religiosus ager.  
         23       Et Lucina ego sum, valvis bipatientibus artas,  
         24           laxato vitae cardine pando fores.  
         25       Ignoscas precor o temere mihi, Luna, locutae,  
         26           impia si mihi vox excidit ore pio.  
         27       In me tu numen, tu in me, Lucina, moraris,  
         28           et sub persona te tenet herba deam.  
         29       Claudis et exiguo nostrae radicis in orbe  
         30           virtutum partem quas tuus orbis habet.  
         31       Ingentes refero victrix de morte triumphos,  
         32           armis usa meis, viribus usa tuis.  
         33       Sum praefecta viis, totumque in corpore purgo,  
         34           perfuncta aedilis nobile munus, iter.  
         35       Dilato angustum nimis, obstructumque recludo,  
         36           et late praeceps omne quod obstat ago.  
         37       Nulla objecta mora est animaeque animaeque ministris,  
         38           ne possint puras ire redire vias.  
         39       Sentinas etiam exsiccis, foedasque paludes,  
         40           haereat in medio ne vaga turba luto.  
         41       Sed mihi mandata est cura propiore tuenda,  
         42           ducit ad aetherias quae via sacra plagas.  
         43       Cimmerias patriae tenebras cum linquere vellet,  
         44           et nova cognatum cernere vita diem,  
         45       Thermopylas uteri ne mors prius occupet obsto,

46 praeccludatque artum ne vigil hostis iter.  
47 Mireris (nam, mirorum ditissima mater,  
48 nil natura magis prodigiale facit)  
49 quo materna modo pondus male mobile possint  
50 tantillo tantum claustra tenere sinu,  
51 quo moles tam magna modo, quo fulmine adacta,  
52 transeat angustae limina clausa foris,  
53 compages uteri quo dura reciprocet aestu,  
54 quo sese evolvat, quo replicetque modo,  
55 quid laxet nodos qua vi solida ossa dehiscant,  
56 qua subeant iterum vincula nota fide.  
57 Non opis hoc nostrae, nec quicquid ubique potentum  
58 herbarum est, quotquot maxima terra parit.  
59 At peragit Deus (ut facile est agnoscere) primas,  
60 nam dignus tanto vindice nodus adest.  
61 Ille jubet crescenti uterum decedere proli,  
62 crescenti ex utero cedere membra jubet.  
63 Et concurrentis Symplegados ora resolvit,  
64 atque aperit molli saxea claustra manu.  
65 Interea forti conatu industrius infans  
66 et capite audaci fissile tentat iter.  
67 Interea magno mulier disrupta dolore  
68 commotum totis artubus urget onus,  
69 et meus instigat penetrabilis ardor utrumque,  
70 et rarescentes cogit hiare plagas.  
71 Saepe intra miserae funebria viscera matris,  
72 heu ! nondum proles nata, sepulta jacet.  
73 Incestat patrias vitae mors impia sedes,  
74 in tam fecundo fertilis ipsa loco.  
75 Spargit letiferos inclusum funus odores,  
76 sarcophagumque suum (monstra !) cadaver edit.  
77 Quis credat ? Matrem tollit praeposterus infans,  
78 et tumulum vivum mortuus ipse necat.  
79 Prodigium castae dii tantum avertite genti,  
80 nec nisi adulterio sit labor ille datus.  
81 Qua licet auxiliior, putridum salva arbore fructum  
82 stringo, concussus molliter ille cadit.  
83 Gaudeo, ne tanta praeceps eat ipsa procella,  
84 quassatae merces praecipitare ratis.  
85 Saepe fugit vinclis proles temeraria ruptis,  
86 exuvias linquens sarcinulasque suas.  
87 Linquntur et chorion tunica, atque subucula ralla  
88 amnios, et turgens lacte placenta penus.  
89 Lucinam implorat mulier recidiva secundam,  
90 nec misere ad partum parturiisse sat est.  
91 Hic etiam miserae succurro, uterumque repurgo,  
92 nec facilis, purus nec nimis ille labor.  
93 Quas ibi sustineam fortis detergere sordes  
94 scitis, sed nullus vir (precor) ista sciat.  
95 Si sciat, amittet multum Venus improba juris,  
96 et minus incipies esse, Cupido, ferox.  
97 Sed quamvis arcana in me chirurgica virtus  
98 infixata ex alto vulnere tela trahat,  
99 non tua, blande Cupido, revellere spicula conor.  
100 Heu ! male tunc uteri dicta patrona forem.  
101 Una in me vis est, quam certe miror et ipsa

102 (ah quae se poterit noscere planta satis ? ),  
 103 Omnia sunt tenebrae, multos meditata per annos.  
 104 Quod feci toties qua faciam arte rogo.  
 105 Nam tanta humanae quae praebeo commoda vitae,  
 106 piscibus exitium, nec sua fata, fero.  
 107 Ut me libarunt, patrias anima uda sub undas,  
 108 vitaeque cum nullo murmure muta fugit.  
 109 Unde hoc fluctivagis bellum cum gentibus ortum ?  
 110 Nam nec eas novi, nec nocuere mihi.  
 111 Et fecunda magis vivunt animalia nusquam,  
 112 persequor haec odio fertilitatis amans.  
 113 Exerit effectus sese, praebetque videntum ;  
 114 sub terra radix causa profunda latet."

#### LENTISCUS

P\_2\_9 v.1 Excipit hic oriunda Chio lentiscus, et inquit :  
 2 "Nunc quod adest, non hoc temporis hujus opus.  
 3 Ut lubet in pisces (non hoc erit, optima, fraudi)  
 4 et saevi, et totum depopulare mare.  
 5 Viderit hoc Glauci quae reddit in aequora pisces,  
 6 viderit aequoreos quae facit herba deos.  
 7 Parva queri piget, o, quando hic, hic ausa sabina est  
 8 inter tot plantas stare scelestas, pias,  
 9 ausa sacros aditus, et non violabile templum,  
 10 vivificosque uteri caede replere lares,  
 11 impatiens sceleris spem nudam occidere vitae,  
 12 et designatos ausa necare viros.  
 13 Infantum tenerum maternis abripere ulnis,  
 14 extremus belli est immodicusque furor.  
 15 Hic intuta (nefas !) clausi custodia ventris,  
 16 praesidiique parum viscera matris habent.  
 17 At tantum natos civili tollitis ira,  
 18 arma novercalis tarda, aconita, manus.  
 19 O ignara mali, simplex et rustica Colchis,  
 20 flagitiique artes erudienda novas !  
 21 Medeam erudiet pueros Medea sabina  
 22 doctius et citius dilacerare suos.  
 23 Ingeniosa parum es, vindictaeque inscia Progne,  
 24 grande morae pretium est, hic sine vivat Itys.  
 25 Concumbasque fero quamvis invita marito,  
 26 spemque novam Tereo, ventre tumente, feras.  
 27 Tunc matura odio, tunc nostram admitte sabinam,  
 28 funestasque utero praeparet illa dapes.  
 29 Ore calescentes avido vir devoret offas,  
 30 et sua visceribus viscera rapta tuis.  
 31 Quem vindicta facit, generosum est crimen abortus.  
 32 Nunc faciunt nugae deliciaeque leves,  
 33 ut vultum famae componat adultera castum,  
 34 ne ferat indicium criminis ipsa sui,  
 35 ut vitet sumptus, et sit Venus impia frugi,  
 36 ne tua sit nimium laxa, libido, domus.  
 37 Monstrando ventri rugarum ut dedecus absit,  
 38 et matronales (res inhonora) notae.  
 39 Omnibus his causis aequae officiosa sabina est,



40 nobilis ingenii sedulitate mali.  
 41 Si conspirarent homines cum germine tali,  
 42 mox cultor vacuo nullus in orbe foret.  
 43 Vos brutis oculis spectacula vana daretis,  
 44 materies vestrae tota deesset opis.  
 45 At vos, quae rapidum sufflamine stringitis aevum,  
 46 et Parcis dulces nectitis arte moras,  
 47 utque estis pictae florentia sidera terrae,  
 48 jure homini vitae fata necisque datis,  
 49 vos, o infantum viva incunabula foede  
 50 vexantem, arboream flamma abolete strygem.  
 51 Hostem naturae sceleratam tollite, et ipsum  
 52 ter madida lauru rite plate locum.  
 53 Se saltem Cretae teneat natalibus arvis,  
 54 Pasiphaes uterum digna subire gravem.  
 55 Corporis hic duplicem unius fecisset abortum,  
 56 o iterum nullo palma futura die !  
 57 Sed, puto, materna numquam voluisset in alvo  
 58 tam magnae monstrum dilaniare spei.  
 59 Nam pueros septem forti faustoque quotannis  
 60 ore voraturus semivir ille fuit.  
 61 Curre, sabina, redi in patriam, nec forte queremur  
 62 dictamnus tecum si popularis eat."

63 His dictis divisi animi, varioque tumultu,  
 64 murmure et incerto contio tota fremit.  
 65 At frondes commota sabina erexit acutas,  
 66 ut viso ardentem hoste leaena jubas,  
 67 cuique prius ternos mater Natura calores  
 68 attribuit, calidam jam quater ira facit.

#### SABINA

P\_2\_10 v.1 "Tunc, miselle frutex (his turbida vocibus inquit),  
 2 tunc inimicitias, ambitiose, meas ?  
 3 Tu celebrem mundo maledictis stringere plantam,  
 4 et multa notam laude, miselle frutex ?  
 5 Tu, dentis medicina cavi, quam sede remota  
 6 vix in tonstrinis ultima theca capit ?  
 7 I nunc, votivas circum suspende tabellas,  
 8 atque onerent ramos parta tropaea tuos.  
 9 Inter tot titulos monumentaque tanta laborum,  
 10 pars putridi dentis maxima laudis erunt.  
 11 An quoniam flentes tua lacrima dura catarrhos,  
 12 et decurrentes lignea sistit aquas,  
 13 naturamne putas tenui constringere vinclo,  
 14 conceptusque udam posse inhibere fugam ?  
 15 Non ita, sed nomen fallaces vana per artes,  
 16 at magno vilis planta licere cupis.  
 17 Quod non es simulas, famaеque imponere quaeris.  
 18 Non ego sed quae sim dissimulare volo.  
 19 Confiteor nondum natos me avellere fetus,  
 20 utere confessae commoditate reae.  
 21 Confiteor, nec tu, matre indulgentior ipsa,  
 22 lachrimulis poteris hoc prohibere tuis.

23 Te comedat, totam te praegnans allinat alvum,  
24 junge et cum lenta mascula thura pice,  
25 et lapidem gestet (labor hic est Hercule dignus)  
26 Herculeum. Vires, credo, habet ille tuas.  
27 Scilicet ille hominis primordia ferrea duri,  
28 invicta retinet fortiter ille fide.  
29 Adsint coraliūque smaragdorumque cylindri,  
30 et circum digitos plurima iaspis eat,  
31 indomitusque adamas, et proles unio conchae,  
32 quae sese et prolem claudere docta suam.  
33 Ante omnes praegnantem aetiten ferre sub ulnis  
34 sit memor, imo illi consule ferre duos.  
35 Nil gerit in gravida sobolem constantius alvo,  
36 aeternum sobolem providus ille gerit.  
37 Omnia cum faciet, faciet tamen omnia frustra,  
38 attingat succos si simul illa meos.  
39 Confiteor, neque ero naturae ingrata benignae,  
40 ne tibi displiceam quae mihi nulla places.  
41 Hoc natura dedit, puto te sapientior ipsa,  
42 arboreus quamvis tu videare Cato.  
43 Non in proliferam soleo subrepere furtim,  
44 aut domina invita vi penetrare domum.  
45 Mallem ego formoso formosa virescere in horto,  
46 atque illibatas integra ferre comas.  
47 Discerpor, tundor pilis, caedemque coacta  
48 sum facere indignant, sed prius ipsa pati.  
49 Jure quidem summo sceleratam Colchida damnas,  
50 numquid et in cultrum transit, inepta, scelus ?  
51 Quid Nemus omne tibi nisi non es sobria dicet,  
52 quando reas vites ebrietatis ages.  
53 Vim Deus hanc tantum dono mihi non dedit, illam  
54 sed majora sequi dona necesse fuit.  
55 Nam menses utero cunctatricesque secundas,  
56 membraque mortiferum mortua pondus ago,  
57 et per me liber nativo carcere fetus  
58 attonito ignotum suspicit ore diem.  
59 Sed nihil, ah ! tanto dignum videt ille labore,  
60 vellet et in tenebras, credo, redire suas.  
61 Optaret venisse meum maturius haustum,  
62 cum nondum vivum perficeretur opus.  
63 Quod scelus appellas, gravis auctor, et esse fatebor,  
64 sed, lentisce, hominum, non scelus esse meum.  
65 Hoc emeret quanti primis sub mensibus infans,  
66 si sciret quod mox esset iturus iter ?  
67 Ah ! minime prorsus decuit producere talem  
68 angustam in mundum difficilemque viam.  
69 Ad caelum ire putes magnis conatibus aegrum,  
70 cum poena ad poenas nascitur innumeras.  
71 Nixibus in lucem prodit letalibus infans,  
72 ipse dolor partus omnia mortis habet.  
73 Ah ! quanti Veneris fallacia gaudia constant !  
74 Quam care matris nomina mater emit !  
75 At tu dilecto cruciata puerpera morbo,  
76 quam vivum torquet (vipera dulcis) onus,  
77 carpe meum propere folium, ne carpere differ,  
78 et crede in succo nectar inesse meo.

79 Protinus impulsu referantur claustra potenti,  
80 exitus e mundo vix magis ipse patet.  
81 Protinus a ramis maturus decidit infans,  
82 et plorat tantum, matre tacente, puer.  
83 Illa rudi gaudet vagitu oblita doloris,  
84 ausa animo Venerem mox agitare novam.  
85 At tu legitimae cui desunt tempora Lunae  
86 (noctem uteri princeps humida Luna regit),  
87 tu folium ne carpe meum, ne carpe monebo,  
88 sed longe, quamquam pondere tarda, fuge.  
89 A me concussus tota pluit arbore fetus,  
90 atque cadit, vel si fructus acerbus erat.  
91 Hoc ego praedico, ne me post damna petita  
92 lentisco dicas imposuisse tibi.  
93 Scilicet innocuae non peccant sponte puellae,  
94 nulla volens umquam vel gravidata fuit.  
95 Sed si ego non essem, credo, committere tantum  
96 nulla quidem posset (da voluisse) nefas.  
97 At centum praestant operam bona germina eandem,  
98 exiliumque ideo si meruisse putor,  
99 exilii comites video non defore nostri.  
100 Ibis in Cretam quam bene magna cohors ?  
101 Ibis, Myrrha, simul mecum, virgo impia quondam,  
102 nunc pia, supplicio nunc pretiosa tuo.  
103 Sed labefactasti neque tunc, licet impia, fetum.  
104 Quem fetum ? et crimen quem peperisse fuit.  
105 Et panaces magno mortem quod nomine terret,  
106 cumque ammoniaco galbana flava suo,  
107 divitibusque laser planta infitianda Cyrenis,  
108 ni simul et lucris dulcis adesset odor.  
109 Ibis, thus terrae (nec thura Sabaea moramur),  
110 ibis tu luto quem, croce, tinxit amor.  
111 Ibis ereuthodanum, et colocynthis fellea, mecum,  
112 pictaque quae varii terga draconis habes,  
113 eminus et tacitis cyclaminus noxia telis,  
114 nec temero gravidis transilienda pede,  
115 antidotusque aliis, sed fetibus ipsa venenum,  
116 in coetu nulli ruta secunda pio.  
117 Quid memorem reliquas ? Agmen sumus, ipsa quoque ibis  
118 quae meritum a lochiis Optima nomen habes.  
119 Sed neque tutandem, praeses veneranda, manebis :  
120 surge, age, et exilium concomitare meum."

121 Finierat, favor orantem plaususque sequuntur,  
122 nec causam dubium est obtinuisse suam.  
123 Parthenis inceptit, reverentia praesidis omnem  
124 compressit motum, conticuitque locus.

#### ARTEMISIA

P\_2\_11 v.1 "Cum te, cara soror, viridis respública pellet,  
2 ire relegatae non dubitabo comes.  
3 Si nos feminei luimus scelera omnia sexus,  
4 ne nostra ecbolicae stirps miseranda domus.  
5 Sit capiti ipsius siqua in sua viscera saevit,

6           nec pars, sed totum mortis agatur opus.  
7   Intempestiva cur nos accersimur hora ?  
8           Illa dies nostra est cum bona Juno venit.  
9   Impia et infelix, virtutis tempora tantae  
10       in magnum impatiens anticipare nefas !  
11   At semel admissi non norunt otia succi,  
12       otia non norunt torpida, semper agunt.  
13   Nec labor est magnus tabulata revellere nondum  
14       vel bene fixa solo, vel bene juncta domus.  
15   Spreturam ventos cum sint retinacula firma,  
16       nunc dubiam arripiet quaelibet aura ratem.  
17   Quid non evertit primordia frivola vitae ?  
18       Nec mirum : vita est integra paene nihil.  
19   Nunc perit, ah ! tenui pereuntis odore lucernae,  
20       et fumum hunc fumus fortior ille fugat.  
21   Totum aquilis Caesar rapidis circumvolet orbem,  
22       collegamque sibi vix ferat esse Jovem.  
23   Quantula res quantos potuisset inepta triumphos,  
24       et magnum nasci vel prohibere deum !  
25   Exheredasset moriente lucernula flamma  
26       tot dominis mundum numinibusque novis.  
27   Tu quoque tantilli, juvenis Pellaeae, perisses  
28       (quam gratus terris ille fuisset odor ?)  
29   tu tantum unius qui pauper regulus orbis,  
30       et prope privatus visus es esse tibi.  
31   Nec tu tantum, idem potuisset tollere casus  
32       teque, Jovis filii, Bucephalumque tuum.  
33   Dormitorque urbem male delevisset Agaso  
34       Bucephalam e vestris, Indica fata, libris.  
35   Vix credenda quidem tam nugatoria pestis,  
36       mollitia haec uteri ni mihi nota foret.  
37   Ingratos scitis quantum aspernetur odores  
38       arcana olfactus taetricitate sui.  
39   Vix bene prudenter, mihi credite : nam locus aptum  
40       deliciis tantis non habet ille situm.  
41   At contra, totis bene-olentia sensibus haurit,  
42       occurritque illis, interiusque trahit.  
43   Nec facile affectus causam indagare latentis,  
44       nec docti satis hanc explicuere viri.  
45   Tentemus siquid melius possimus et ipsae,  
46       ultima nam cursus tempora luna terit,  
47   et quae de partu miracula mille supersunt,  
48       conventum poscunt discutienda novum.  
49   Edita tu proavis, Cynareia planta, tyrannis,  
50       jam tandem offensi gloria summa patris,  
51   jam sacra, jam divum gratissima naribus arbor,  
52       atque iterum virgo, virgo perenne manens,  
53   ipsaque vosque meae, non segnis turba, sorores,  
54       instrumenta operis parva, sed apta, sumus.  
55   Tu bene feminei mysteria femina mundi  
56       commemorare potes, nam meminisse puto.  
57   Teque olim patriae natam inter aromata dulcis  
58       praeclare fas est noscere quid sit odor.  
59   Quinetiam infelix cum te ratione minori  
60       tentantem frustra vincere vicit amor.  
61   In medio longae miseram discrimine pugnae,

62           ah ! Saepe hystericam decubuisse ferunt.  
63   Ergo age, quae tandem tua sit sententia pande.  
64           Quid dubitas, nimium myrrha modesta, loqui ?  
65   Quid fles ? Quid rupto dimanant cortice guttae ?  
66           Illa vetus nil jam culpa pudoris habet.  
67   Felices culpae, lacrimas producere tales,  
68           et tantum terris quae potuere bonum !  
69   Nulla umquam merita est tantum virtutibus ipsis  
70           femina, tu quantum crimine, myrrha, tuo."

#### MYRRHA

P\_2\_12 v.1    At tandem abstergens fletum Cynareis odorum,  
2           diductis leviter frondibus ora levat.  
3   Incipit, exactoque calet mox lingua pudore,  
4           mox nulla ut pergat sollicitanda prece.  
5   Sic prima est Cochleae dura exantlatio siccae,  
6           mox densum pleno flumen ab ore vomit.  
7   Nota quidem res est, aliis longe omnibus unam  
8           plura gynaecitin fundere verba tribum.  
9   Inque illa longe reliquis plura omnibus unam  
10           fundere, siqua olim planta puella fuit.  
11   Ergo hic historiam contexit origine ab ipsa,  
12           quaque licet molli mitigat arte suam.  
13   Quam longum illicito pugnavit fortis amori,  
14           at mala ne faceret, quam mala saeva tulit,  
15   quam sit saepe sua conata arcessere dextra  
16           mortem, dum potuit Myrrha pudica mori.  
17   Impar cum saevo congressa Cupidine virgo,  
18           sub juga qui magnas mittit athena deas.  
19   Multaque praeterea quae mens mihi dicere non est,  
20           cum melius Naso dixerit illa prius.  
21   Tum vero innumeros uteri (haud ignara) labores  
22           flebilibus fertur questa fuisse modis.  
23   Vix ego, si ora mihi dentur muliebria centum,  
24           et detur pulmo roboris instar habens,  
25   tot genera et formas et nomina saeva malorum,  
26           tot varii vultus monstra referre queam.  
27   Quae superum invidia est tam multo milite mortis  
28           ipsius vitae velle replere domum ?  
29   Quid tutum est homini, tua dulcia regna, voluptas,  
30           metropolimque tuam si dolor hostis habet ?  
31   Sed mihi praecipue laurus mea rettulit illam,  
32           hysterici incursus ingemuisse mali.  
33   Vae miserae (dixit) totius corporis urbi,  
34           si castellum uteri vis inimica tenet !  
35   Eminus hinc dirum jaculatur ubique vaporem,  
36           fit fuga vasta animae qua vapor ille subit.  
37   Spirituum turbas intercipit ille volantum,  
38           ut procul incautas taeter Avernus aves.  
39   Si stomachum attingit, stomachus collabitur aeger,  
40           pensaque venarum semiperacta jacent.  
41   Immemor officii dulces avertitur escas,  
42           friget et exstincto cruda culina foco.  
43   Cor petit ? Ipsa tremunt labefacta palatia cordis,

44           vitale excusso sanguine turbat opus.  
45   Intrantesque novos suspendit ad ostia fluctus,  
46           terrata vel retro cedere vena iubet.  
47   Et cava vel dubio, vel nullo, tympana pulsu,  
48           significant animae praetereuntis iter.  
49   Splendida laetities afflatu exstinguitur atro,  
50           et spes, et quicquid pectore lumen habet.  
51   Ut dicunt, Stygiis olim apparentibus umbris,  
52           oppressa tremulas luce perire faces.  
53   At subeunt luctusque metusque odiumque diei,  
54           et formis horret scaena maligna nigris.  
55   Mox in processu fauces crudeliter ipsas  
56           carnificis stringunt vincula saeva mali.  
57   Aetheria infelix aura non vescitur, ignis  
58           sola alimenta sui vita pyralis habet.  
59   Saepe et in alta volans caput occupat impigra pestis,  
60           ardentemque animi fertque rapitque domum.  
61   Barbarico trahitur ratio captiva triumpho,  
62           nunc religata oculos, nunc religata manus.  
63   Scilicet hanc hilaris miseram dementia ludit,  
64           et risu effreni viscera maesta quatit.  
65   Et (vigil ah frustra !) praesentia somnia narrat,  
66           miraturque suos non placuisse jocos.  
67   Cuncta tremens pavet haec, et cunctis illa minatur,  
68           ac miseranda jacet terribilisque simul.  
69   Huic vanis irarum ardescunt ignibus ora,  
70           atque illi vanis imbribus ora madent.  
71   Mortis imago alias premit exactissima, quacum  
72           collatus, vitae somnus imago foret.  
73   Constringit sensus torpor solidissimus omnes,  
74           arboreaeque animae non magis alta quies.  
75   Nec levis aura potest tenues impellere pappos,  
76           siqua ex ore venit ; sed, puto, nulla venit.  
77   Defunctam hystericae conjunge, jacere putabis  
78           defunctasve duas, hystericasve duas.  
79   Hoc tanto in morbo (quis credat ? sed tamen aequum est  
80           credere quam longus perdocet usus opem)  
81   subjice sopitis grave-olentes naribus auras,  
82           huic taetro cedet taetrior ille vapor.  
83   Perdicum plumae variae suffimina sunt,  
84           humanaeque comae, quadrupedumque pili,  
85   cornuaque coriumque boum, et quae plurima quondam  
86           verruca aegroti crure tumescit equi.  
87   Nil virtutis eget : quis casus repperit istam,  
88           aut tantum ingenium casibus unde fuit ?  
89   Ure simul petrelaea, et matrem sulphur odorum,  
90           virosamque assam, castoreumque grave.  
91   Haec per mille poros, nervosque, viasque micantes  
92           descendunt acie densa, uterumque petunt.  
93   Ille omnes adytus contra munire superne,  
94           et claustra aggeribus firma tenere bonis.  
95   Ergo in se magnis contractus nixibus ipse  
96           (nam spatium in magno vis male fusa perit),  
97   humoresque supervacuos foedosque vapores  
98           emittit tristes inferiore via.  
99   Non jam cura manet longinqua invadere regna,

100           tutari cura est seque suosque lares.  
101       Nec tandem Hannibali nova sufficit agmina, possit  
102           ut procul Italiae frangere victor opes,  
103       Romanas aquilas et pila minantia circum  
104           Carthago a muris cum videt ipsa suis.  
105       His nares, uterum contra suffire memento  
106           quo placas magnos largus odore deos.  
107       Cinnamaque ladanumque illuc suppose caprinum,  
108           et costum, et stacten, si sapis, adde meam,  
109       sudoremque sacrum zibethi, vomicomque gazelae,  
110           ignotumque homini te genus, ambar, habens,  
111       et mea quod spirat Panchaia ditibus hortis,  
112           atque revicturae quod rogos halat avis.  
113       Nec tu, thura, bonis dubites avertere divis,  
114           dii bene concedent usibus illa piis.  
115       Tum membra obscuro cernes undantia motu  
116           experrecti animi lucida signa dare.  
117       Tum cava non solito fremere intestina tumultu,  
118           disjectique hostis tota sonare fuga,  
119       subter et obscaeno stillare venena canali,  
120           sanguineasque iterum lene micare vias.  
121       Et se saepe levant oculi, caelumque requirunt,  
122           purpureusque redux floret in ore calor.  
123       Ultima constrictas reserant suspiria fauces,  
124           ad vitae exspirat morbus et ipse modum.  
125       Quod tibi, dulcis odor, cum membro a nare remoto,  
126           et nari invisio, quod tibi foedus, odor ?  
127       Tu quoque qua causa, foetor spurcissime, bello  
128           tam clara et longe dissita regna petis ?  
129       Qua vos, qua celeres emittitis arte sagittas,  
130           narus ubi, vester tam procul arcus, abest ?  
131       Ergo aliqui ad cerebrum credunt pertingere solum,  
132           qua via sub celso fornice nota patet,  
133       cognatoque utero mox impertire cerebrum,  
134           aut triste aut laetum quod ferat hospes odor.  
135       Nec sua saepe uterus, sed gaudia gaudet amici,  
136           et laesi laesus saepe dolore dolet.  
137       Quod cerebrum Pyladen, uterum delectat Oresten,  
138           quod fugit et Pylades, noster Oresta fugis.  
139       Non equidem inficior nodum quo jungit utrosque  
140           natura simili conciliatus amor.  
141       Conceptusque suus, suus est et partus utrisque  
142           atque ambo fetus ora parentis habent.  
143       Quid quod inest numquam satiata libido creandi,  
144           magnorumque capax, artus utrisque sinus ?  
145       Multaque praetereo (concurrunt multa in utrisque),  
146           scilicet haec matrix corporis, illa animi est.  
147       Sed tamen haec isti propria est ac priva facultas,  
148           nec caput et nares semper agatne ? rogat.  
149       Surgere conantem atque urgentem vincula frustra  
150           (saepe rebellantem vincula nulla tenent)  
151       suppositus revocat (naso ignorante quid actum)  
152           et firmat grato glutine blandus odor.  
153       At descendentem devexo pondere eundem  
154           (nam proprio imbellis pondere saepe labat)  
155       suppositus fugat occursu, sursumque repellit

156           horrenda intentans arma molestus odor.  
157       Sic cum tota suis gens olim excesserat arvis  
158           (ingens finitimis undique terror agris),  
159       invitam ad patriae semirutata tecta relictatae  
160           reppulit obstanti major ab hoste metus.  
161       Ergo alias alii causas, sed nulla relatu  
162           (nam legistis eas, sat scio) digna novo.  
163       Quid potero ipsa novi ? Mihi tu, doctissima praeses,  
164           fare aliud dicis, res ait ipsa tace.  
165       Fas parere tibi, verum reperire deus me  
166           forte vetat, verum quaerere et ipse jubet.  
167       Longius haec ratio, puteoque petatur ab imo,  
168           haurio si lente, da veniam, alta latet.  
169       Admiranda vides et bella et foedera rerum,  
170           his constat mundi musicus ille tenor.  
171       Haec qui haurire velit noto de fonte quaterno,  
172           gnaviter insanus cum ratione foret.  
173       Causarum hic varii se pandunt undique rami,  
174           sed causis radix omnibus una subest.  
175       Namque ea quae vulgo jam quatuor esse putantur  
176           non sunt immensi semina prima globi.  
177       Thesaurus elementorum congegit in illis  
178           verorum, in promptu numen habere volens,  
179       principia unde suos depromere posset ad usus,  
180           et mixta aeternum suppeditare nova.  
181       Infinita favis latitant elementa minutis,  
182           infinita homini, sed numerata deo.  
183       Nec magis antiquus claro calor insidet igne,  
184           famosumque suae frigus inhaeret aquae,  
185       quam vel amarities, dulcedo, alborque nigrororque,  
186           atque omnis, variae copia naris, odor,  
187       vel nostrae ecbolicae vires, vel styptica virtus,  
188           propria materiae puncta habuere suae.  
189       Terris cuncta, et aquis, flammisque animisque coeva.  
190           Quid parce et timide dico ? Priora volo.  
191       Nam quae terrae et aquae, flammaeque animaeque vocantur,  
192           ex his compositum corpus habere reor.  
193       Quippe - sed oblatus subito vocem abripit horror,  
194           nam longe versa janua clave sonat.  
195       Intrantemque ipsum cultorem nobilis horti  
196           vidit ruta procul, vidit et intremuit  
197       (nam nulla in terris distantia longius herba  
198           purgatrix oculi quam bona ruta videt),  
199       et "Fugite hinc propere" submissa voce susurrat,  
200           "cultor adest horti, diffugiamus," ait.  
201       Nondum erat orta dies, sed luce afflata propinqua  
202           Luna iter admissis praecipitabat equis.  
203       Nec se more suo tam matutinus agebat,  
204           sed casu e somnis excitus ille novo.  
205       Nam subitis uteri lacerata laboribus uxor  
206           inclamabat opem, Juno benigna, tuam.  
207       Ille autem, qui vel centum Junonibus horti  
208           praetulit attonitus germina multa sui,  
209       quaesitum huc propere cyclaminum forte cucurrit,  
210           quo lentum excuteret parturientis onus.  
211       Ut procul aspexere virum, sese ocus omnis,



212 sed furtim et nullo murmure, turba levat,  
213 et breviter praeses, "Nunc missa est, ite sorores :  
214 interruptum alias perficietur opus."  
  
215 Discedunt, nulloque sono nulloque tumultu  
216 areolas repetunt germina quaeque suas.

### PLANTARUM LIBER III

(1123 v.)

#### FLORA

P\_3\_1 v.1 Nunc, si quando, mihi nunc laetum, Musa, renide,  
2 tempus adest veris, temporis ora refer.  
3 Nunc varia innumeros, facundia, pande colores,  
4 et quicquid florum picta poesis habet.  
5 Undique se trudent viridanti e carmine gemma,  
6 et resonet toto musica verna libro.  
7 Undique laudis odor dulcissimus halet, et omnis  
8 plusquam Paestanas pagina fundat opes.  
9 Undique formosas lumen discriminet umbras,  
10 nullaque non veris gaudia carmen agat.  
  
11 Primus, io, Maii, mundo gratissimus omni,  
12 primus, io, venit, praecipuusque dies.  
13 Hoc olim (sic fama) die (nec rumor inanis  
14 sed sic fama refert vatibus orta sacris)  
15 nupsit odorato Chloris formosa marito,  
16 nupsit, et ex illo tempore facta dea est.  
17 Tunc et terra ferax, et caelum, et pontus, et aer,  
18 publica laetitiae signa dedere suae.  
19 Nulla erat in toto nubes circumvaga caelo,  
20 vel si forsitan erat, picta decenter erat.  
21 Nullus composito spirabat in aere ventus,  
22 aut hilares flatu sollicitabat aquas.  
23 Vel si forsitan erat, dulces spirabat odores,  
24 mulcebatque hilares officiosus aquas.  
25 Tunc mille ignotis florum radiare figuris,  
26 attonitam monstro fertilitatis humum.  
27 Tunc nova per steriles se attollere lilia montes,  
28 innocuosque rubos dulce nitere rosis.  
29 Pro tristi urtica, pro vulnifico paliuro  
30 narcissum et violam surgere purpuream,  
31 hunc talem tantumque diem, de virgine cruda  
32 quo facta est eadem femina, quoque dea.

33 Grata quidem ludis celebravit Flora quotannis,  
34 et voluit lauta religione coli,  
35 dum dea Romanae mansit non ultima gentis  
36 et numen domina dives in urbe fuit.  
37 At tandem omnigenum turba comitante deorum  
38 cum vaga Romanis finibus exsul abit,  
39 ludorum et pompae, templis et turis honore  
40 omnibus et divae dispoliata bonis.  
41 Cum generi infelix humano desiit esse,  
42 et coepit tantum floribus esse dea.  
43 Quo potuit miseranda modo (non more vetusto  
44 prodiga inexhaustas cum male sparsit opes,  
45 non ea vis animo, nec tanta superbia tanto  
46 culmine dejecti numinis esse potest),  
47 sed furtim modiceque et libertate modesta  
48 et coluit tamen hunc, et colit usque diem,  
49 quoque magis variis dispersum partibus orbis  
50 regnum obeat florum, quod sibi restat adhuc.  
51 Haec, memor officii, solemnia sacra quotannis  
52 nunc his, nunc aliis partibus orbis agit.  
53 Nec labor est illi terras peragrarare remotas,  
54 et late mundum visere floriferum.  
55 Nam pictis zephyri vaga curribus aera tranat,  
56 et placidum auriga conjuge radit iter.  
57 Annus erat longe ante alios pulcherrimus annos,  
58 annus, io, nomen cui Carolinus erat.  
59 Aureus ille quidem caelo processit ovanti,  
60 cinxeruntque aureis astra benigna choris.  
61 Ille dedit toto pacem mitissimus orbi,  
62 ille fores Jani clausit ubique sui.  
63 Ille dedit majus tibi, fausta Britannia, donum,  
64 ille tibi pacem Carolidemque dedit.  
65 Viginti annorum reparavit damna malorum,  
66 composuitque vetus jam validumque chaos.  
67 Nec fuerant urbes tantum illi atque oppida curae,  
68 respexit flores arboreumque genus.  
69 Restituit silvarum, hortorumque auxit honores,  
70 et nullum nitidae pacis omisit opus.  
71 Ipsa deos reliquos et dulcia numina ruris  
72 exsul Flora diu concomitata redit,  
73 illam ego curvatae dorso super iridis altam  
74 vidi equidem (mihi tum Musa specilla dedit),  
75 Anglica purpureo repetentem regna triumpho,  
76 in pompa agnovi versicolore deam.  
77 Substitit illa tua, Thamisis celeberrime, ripa,  
78 cui cara ante alias et vetus hospes erat.  
79 Hic dea totius conventum indixerat orbis  
80 floribus, hic justo conveniuntque loco.  
81 Convenere omnes, quotquot plaga fervida torret,  
82 frigida constringit, vel moderata fovet.  
83 Quotquot prima dies roseo de carcere Eoo  
84 erumpens, madidi luminis imbre rigat,  
85 quotquot sera dies pronae contermina metae  
86 lumine purpureo florida et ipsa videt.  
87 Germina conveniunt, non haec (ne forte putetis)  
88 quae radice alta fixa videtis humo.

89       Fixa videtis humo, nec se posse ipsa levare,  
90             vivere materno vel male rapta sinu.  
91       Quis negat ? At certe venere (quid impedit ?) illa  
92             quae vidisse sacra mente Platona ferunt,  
93       agnovisse ferunt simul, ideasque vocasse,  
94             divinumque genus, filiolasque Jovis.  
95       O quanta aetheriis quam fulgida gloria plantis,  
96             quantus honor nudae est archetypaeque rosae !  
97       Qualis odor, quantusque rubor ! Sed et haec tamen ipsa  
98             nostrates multum est dicta referre rosas.  
99       At constans et firma per omnia saecula vernat,  
100            non violabile habens occiduumve decus.  
101       Namque Idaea rosa est, divinae mentis imago,  
102            at rosa terrestris, quaeque superbit humi.  
103       A Jove plus distans vel imaginis hujus imago est,  
104            quid mirum, stabili si minus ore nitet ?  
105       Talia conveniunt viva exemplaria gentis  
106            floreae floridulae, concelebrantque diem.  
107       Tanta, tot istius spectacula Daedala lucis,  
108            pingere tu, credo, solus, Apollo, potes.  
109       Tu qui peniculo radiorum pingis, Apollo,  
110            hoc varium mundi multicoloris opus.  
111       An possis plane dubito describere versu,  
112            plantarum et vatium sis licet ipse deus.  
113       Confiteor rem tantam operum non esse meorum ;  
114            pauca legam, ritu praetereuntis apis.  
115       Fasciculus nobis e tanto parvulus horto  
116            sufficiens unus, si modo dulcis, erit.  
117       Cum jam solemnis pars magna peracta diei  
118            esset odoratis magnificisque sacris  
119       (sacris, quae nec lingua potest humana referre  
120            forsitan, et quae sit forte referre nefas),  
121       judicio tandem placuit certare jocosum  
122            (sed res certe acta est acrius illa joco),  
123       reginam hortorum regni si vellet amoeni,  
124            et quasi pronomen diva creare suum  
125       quae foret ingenti dignissima nomine planta,  
126            et tituli radiis nobilitanda novi.  
127       Scaena recurvatis stabat topiaria ramis,  
128            exigui formam templi imitata cavam.  
129       Multa arbor, multusque frutex bene olentibus umbris,  
130            et lepide pictis composuere tholum.  
131       Punica ibi, regale rubens, et candida jasmis,  
132            candidaque Idaliae myrtus amata deae,  
133       et flore argento simili stetit aurea malus,  
134            tota odor, atque maris ros, et utrumque lilac. (*lilac* vel *syringa*)  
135       Lenta periclymenos, vultuque colutea flavo,  
136            intextusque rosae multus ubique decor,  
137       et pulchrum quicumque alius caput extulit alte  
138            (emblema adjectum) flos variabat opus.  
139       Interius posita est summi testudine templi  
140            sub media, sedes iudicis alta deae.  
141       Conflata innumerabilibus (mirabile dictu)  
142            ex foliis horti versicoloris erat,  
143       quae variis oculos ludebant scita figuris,  
144            non effabilibus consociata modis.

145 Vermiculatum opus egregie, gemmisque per artem  
146 dispositis solidum, tesserulisve putes.  
147 Nil opus est solido : sunt tenuia corpora divis,  
148 quaeque super pappis firma sedere queant.  
149 Illa sedet tota cum majestate venusta  
150 immensae poterant quam dare veris opes.  
151 Illa Ariadnaea frontem stellata corona,  
152 Iridis et festa veste superba sedet.  
153 Ante deae solium et nullis non mite tribunal,  
154 stabat in officiis turba parata suis.  
155 Mollibus et pictis, sed et heu ! pernicibus alis,  
156 subnixa horarum bis duodena cohors.  
157 Has prope ter deni stabant ex ordine pulchri,  
158 insignesque pedum mobilitate dies.  
159 Vos quoque bis seni sed vultu dispare menses,  
160 sedula lunares gens agitare rotas.  
161 Ver aderat, roseus juvenis, sua in ora notatus,  
162 attrahere haud raro iudicis ora deae.  
163 Pulchra quoque astabat cultuque modestior aestas,  
164 spicea sarta illi, flavaque vestis erat.  
165 Pomonaque tumens Bacchique autumnus honore,  
166 purpureas vitis qui pede calcat opes.  
167 Et parvo contenta, famemque et frigora spernens,  
168 tempestas plane Stoica, pauper hiems.  
169 Non tamen huic nullum indulisit natura nitorem,  
170 nec vel languenti gratia nulla solo est.  
171 Rebus in adversis tristem non deserit annum  
172 plantarum fragili natio tota fide.  
173 Sunt aliquae plantae (sunt flores inter amoenos,  
174 deliciis natum luxuriaeque genus)  
175 quas hiemis numquam certe infelicis amicas  
176 esse pudet, non si terra polusque fremant.  
177 Sunt paucae, fateor, sunt germina parva, minorum  
178 gentium, at a meritis nobilitata suis,  
179 Ergo hiemem primam (dedit hunc novus annus honorem  
180 atque hiemi vultu Janus utroque favens)  
181 diva suam jussit non magnam educere turmam,  
182 copiolamque inopem, gloriolamque levem.  
183 Paret hiems, raro disponit et agmine flores  
184 (virtuti haud numero fidere sueta) suos.  
185 Stant acie in prima duo florum paene gigantes  
186 Pygmaeas inter militias hiemis.  
187 Nobile mezereon mater laurumque tinum quos  
188 paene gigantaeo nomina terra vocat.  
189 Quae si florerent minus anni tempore duro  
190 germina, vix nomen florum habitura puto.  
191 Nunc ita censentur, titulumque hoc forma mereri  
192 et non indignus vere probabit odor.  
193 Stat juxta, cum saepe malae legere novercae,  
194 quam genuit triplicis spuma cruenta canis,  
195 planta nocens, duris plerumque in cautibus orta,  
196 nomen et inde ferum, durior ipsa, trahens.  
197 Nunc viget, auratumque caput levat improba terra,  
198 nec, similis patri, solis ad ora tremit.  
199 At prope leucoion tenerum tremit ore modesto,  
200 territa vicinae proximitate malae.

201 Illa nives inter niveaeque simillima guttae,  
 202 dignoscenda tamen, candidiorque nitet.  
 203 Nobilis hanc sequitur caelesti concolor orae  
 204 hepatica, atque omni caerula nube caret.  
 205 A se servato clarum et venerabile terris  
 206 sanguinis artificii viscere nomen habes,  
 207 conscia virtutis saeva inter frigora brumae,  
 208 prosilit e duro, planta pusilla, solo.  
 209 Aspectus aliae molles et tempora caeli,  
 210 et solem et zephyros opperiantur, ait.  
 211 Prosilit illa ferox, heu, caule tenerrima nudo,  
 212 praepropera, et foliis incommitata suis,  
 213 primula jungitur his, quam ver cognominat ipsum,  
 214 et decorat vernus purpureusque color,  
 215 atque anemonarum, cyclaminorumque, crocorumque  
 216 audax sub dio quoddam hiemare genus,  
 217 quas velut istius non veras temporis herbas  
 218 diva ad gentiles jussit abire suas.  
 219 Restabat canae genuino ex milite brumae  
 220 helleborus, gelidi gloria prima soli.  
 221 Solus hic ausus erat pulchrum certamen inire,  
 222 floreaque intrepidus poscere regna sibi.  
 223 Et radice nigra se sistens ante tribunal  
 224 pallidulo coepit fortiter ore loqui.

#### HELLEBORUS NIGER

P\_3\_2 v.1 "Non mihi nunc animus formae contendere honore,  
 2 lilia, vobiscum, purpureaque rosa.  
 3 Praetidas haec olim vesania perdidit, ausas  
 4 Junoni vultus aequiparare suos.  
 5 Cum subito falsis silvam mugitibus implent,  
 6 seque putant turpes rus peragrare boves.  
 7 Haec ego curavi laesae deliria mentis,  
 8 humanamque iterum vocem animumque dedi.  
 9 Et meus haud pretium retulit vulgare Melampus  
 10 conscendens thalamos, Iphianassa, tuos.  
 11 Nec mihi stultitiam quisquam exprobrabit eandem,  
 12 quam pepulit plantae vis animosa meae.  
 13 Forma bonum magnis solidum atque fidele deabus,  
 14 cum caelo et magnis illa coeva deis,  
 15 non illam hostili irrumpens capit impete morbus,  
 16 nec longi expugnant obsidione dies.  
 17 Frivola res forma est in floribus atque puellis,  
 18 par hominum vitae frivola ridiculae.  
 19 Talis inauratae fugitiva superbia nubis  
 20 quam Phoebi artificis lucida pingit acus.  
 21 Nunc laetum nitet ac ridet, sed proxima tristes  
 22 turpiter in lacrimas desinere hora videt.  
 23 Haec teneros angusta coarctat gloria flores,  
 24 hos male cancellos hemerocallis habet.  
 25 Illos et pluviae necat et vis improba venti,  
 26 illos astrorum caeca venena necant.  
 27 Ut Semele infelix inter blanda oscula solis  
 28 atque sui pereunt ipso in amore dei.

29 Illis per fibras caesim letale calores,  
30 mortiferum punctim frigora vulnus agunt.  
31 Frigora si veniant Procne pernicibus alis  
32 adventum brumae non magis ipsa fugit.  
33 Siquis in hac, divum aeternis flos dignior hortis,  
34 tam fragili vitae condicione brevis.  
35 Siquis subjecit pedibus strepitumque furoremque  
36 et raucas hiemis terribilesque minas,  
37 indomitusque nives calcat, pluviasque repellit  
38 victor, et aerae bella sonora plagae,  
39 huic, dea, pro meritis da sceptra hortensia tantis,  
40 imperium in flores da, dea justa, tuos.  
41 Sola quidem virtus facit et sapientia regem,  
42 si bene rex magni dictus imago Dei.  
43 Hac ego confidens, non formae dote superba,  
44 florea non temere vindico regna mihi.  
45 Nec forti imbellis mihi cedere turba rubescat,  
46 luxuria et vernis ebria, turba bonis.  
47 Venit hiems. Eheu ! laetus modo, nunc simul annus  
48 lugentis vultus atque furentis habet.  
49 Undique carceribus venti effunduntur apertis,  
50 et late infelix dispoliatur ager.  
51 Frondibus arboreis primo conamine raptis  
52 truncum et radices vix sua servat humus.  
53 Imbribus immodicis latet obruta terra, vel illa  
54 lanatis nivium tota operitur aquis,  
55 vel concreta gelu riget, et simul ipsa superne,  
56 fert ripam in dorso fluminis unda novam.  
57 Marmoreo in tumulo natura sepulta videtur,  
58 frigora captivam desidiosa tenent.  
59 Germina miraris tanto in discrimine rerum  
60 multa mori, ingenti multa latere metu ?  
61 Aspice languidulo nictantem lumine, et ipsum  
62 plantarum credes non bene habere Deum.  
63 Nunc, violae, nunc o bellae prodite tulipae,  
64 nunc, rosa, purpureum pande superba decus.  
65 Quid nitidi vivas expromere, lilia, vultus  
66 cessatis (propria est haec nivis hora) nives ?  
67 Omnia secretis conduntur germina in antris,  
68 omnia surda jacent, omnia muta metu.  
69 Ausa laborantis tanta in formidine mundi  
70 paene ego belligerum sola levare caput.  
71 Nec me virtutis, nec me rationis egentem  
72 circumstat telis millibus acris hiems.  
73 Quod tibi si mens est reginam, diva, creare,  
74 et titulo plantam nobilitare sacro,  
75 convenient omnes, te coram iudice certent,  
76 ut dignam tanto munere diva legas.  
77 Cauta sed in mediam conventum indicito brumam,  
78 quaeque petunt fortem tempora dura ducem.  
79 Siqua ex molliculis, siqua ex redolentibus istis  
80 et nimia ornatis ambitione venit,  
81 si caput audebit pulchellum ostendere, cedo,  
82 pulchellum exornet pulchra corona caput.  
83 Nulla quidem veniet, discrimine picta venustas  
84 tam magno imperium non bene credet emi.

85 At solae comparebunt non divite cultu  
86 quas, dea, nunc comites cernis adesse meas.  
87 Nec sibi nunc (non est fiducia tanta) petitem  
88 adveniunt istae, sed mihi regna vovent.  
89 Fortiter haec patior. Quid agam nunc fortiter audi,  
90 cognita nam virtus parte in utraque mea est.  
91 Nec solum invictum bellis civilibus esse,  
92 sed late populos vincere regis opus.  
93 Si mihi de partis cognomina clara triumphis,  
94 atque honor ex omni surgeret hoste novus,  
95 vix (puto) Romanus vel jactantissimus olim  
96 tot titulos princeps accumulare potest.  
97 Serpentes late cancros, scabiemque vagantem  
98 monstra superveniens irrequieta domo,  
99 quartanas cunctatrices lentoque duello  
100 terribiles celerem carpere cogo fugam.  
101 Cum vertigo rotat cerebrum, sufflamine nostro  
102 sistitur, et firmo permanet orbe caput.  
103 Cum membris exundat aquosus et aestuat hydrops,  
104 siccatur nostro pulvere dira palus.  
105 Quid memorem reliquos, cum morbum tollo caducum,  
106 sit licet Herculeus, sit sacer ille licet ?  
107 Quid memorem morbos ? Mihi mors apoplectica cedit  
108 neve anima patior membra manente mori.  
109 Magna quidem memoro, sed et his majora supersunt,  
110 tantaque res meriti pars quotacumque mei est.  
111 Me penes est unum laesae curatio mentis,  
112 efficere hoc solis diisque mihi que licet.  
113 Insanis medeor stultisque quid addere possit,  
114 quae majora mihi vel dare regna deus ?  
115 Qui facit hoc, illi est totus provincia mundus,  
116 imperium magno Caesare majus habet."

117 Dixerat, et laeto comites plausere tumultu,  
118 ipsaque (si fas est credere) risit hiems.

119 Protenus eduxit legiones purpureum ver,  
120 florea per totum funditur umbra solum.  
121 Vix (puto) qui tanta potuit facundus Homerus  
122 Argolicas acies dinumerare fide.  
123 Vix (puto) tot poterat formosa examina florum  
124 exacta et certa dinumerare fide.  
125 O Ver ! o pulchrae ductor pulcherrime gentis !  
126 O florum Xerxes innumerabilium !  
127 Quos ego (nam gens est non aversata liquores)  
128 epotare etiam flumina posse reor.  
129 Talis erat pictis fulgens exercitus armis,  
130 et forma atque ingens arma fuere decor.  
131 Nomine tum formaque tubae flos aemulus aerae  
132 stans medio, clarum ter dedit ore sonum.  
133 Edicitque alta voce, ut simul audiat omnis  
134 contio (nam vox est candida et alta tubae).  
135 "Quisquis (io) florum quos hic astare videmus,  
136 non petitis regnum, cedite rite loco.  
137 Rite prius sanctum venerati numen abite,  
138 qui regnum ambitis, vos remanete loco."

139 Prima racemosi submisso vertice caulis  
140 ante deae solium iudicis orchis abit.  
141 Orchis apes portans maculoso examine pictas,  
142 monstraque ridiculi ludicra floris habens.  
143 Orchis, quam satyri et nequam deus ille Priapus,  
144 et Venus et iudex noster et ipsa probat.  
145 Hanc sequitur cognata canini nominis herba,  
146 nec minus ipsa iisdem fida ministra deis.  
147 His quoque se jungunt pulchri comites hyacinthi,  
148 nobilis illa, potens et numerosa domus.  
149 Nec tamen haec ausa est hoc tempore poscere regnum,  
150 heu ! ignominia nuper inusta gravi.  
151 Nam quondam Oebalio cum se de sanguine cretum,  
152 et magni Ajacis diceret esse genus.  
153 Res ea iudicio Florae commissa supremo  
154 nuper erat, causa sed cecidisse ferunt,  
155 quod sua non poterant insignia scripta probare,  
156 litterulis maestis flebilibusque notis.  
157 Tu quoque qui Graecis gallinae filius albae,  
158 ignoti titulum, candide, lactis habes,  
159 quamque parens florum miti laetissima caelo  
160 Bethlemiae stellam terra Britannia vocat,  
161 ambitione vacans omni, leucantheme bulbe,  
162 ut decet affinem, tu comitaris eos.  
163 Sed neque te summae tanto in certamine laudis  
164 virium habere satis, bella modesta, putas.  
165 Militiae quamquam pars tu firmissima verna,  
166 praecedis, comitas, subsequerisque ducem.  
167 Quamquam consolidae nomen tibi jure tributum est  
168 et magno dignum principe munus habes.  
169 Quamquam nulla facis, quamquam omnia vulnera curas,  
170 o verum plantae militis officium !  
171 Haec eadem guttis sanicula sparsa cruentis,  
172 et cotyledonis sanguine sparsus apex.  
173 Haec eadem rubro lunaria caerula caule,  
174 et gerani virtus haematoidis agit.  
175 Hae cessere tamen, flores plerumque feroces  
176 non sua tam virtus quam sua forma facit.  
177 Cedit et ipse etiam gladii de nomine dictus,  
178 (quis putet hoc ?) cedit, picta tulipa, tibi.  
179 Tot cinctus gladiis, truculenti more tyranni,  
180 regni affectati suspicione caret.  
181 Quantum immane aliis hic distat ab ensibus ensis,  
182 in rabiem effingit quos fera flamma suam.  
183 Huic tribuit natura parens armaria vere  
184 unguenta, hoc solo sistitur ense cruor.  
185 Tu quoque cessisti, locuples aquileia, colorum  
186 et lauta et centum conspicienda togis,  
187 obsessasque vias audax perrumpere, et hostes  
188 dejicere obstantes, praecipitesque dare.  
189 Quodque magis mirum est, tam formidabile nomen,  
190 tam regale sonans ora leonis habens.  
191 Nec tibi majores animos, gavianam modesta,  
192 tigris in morem dat maculosa cutis.  
193 Cur non hoc prosit, maculas mutare vel auro,



194 cum nollet citrus luxuriosa suas ?  
195 Discessere simul ferrugine tincta rubenti  
196 lilia, quae felix Persidos ora tulit.  
197 Lilia discessere simul, tollentia stellis  
198 spicatum exiguis lacteolisque caput.  
199 Gemmantis gratos uvae redolentia odores,  
200 pergratos hominum sensibus atque deum.  
201 Non viret in terris cerebro indulgentior herba,  
202 vim non immodici sobria nacta meri.  
203 Hanc sequitur repens per humum, baculumque requirens,  
204 clematis infirmo non bene fulta genu.  
205 Purpurei denso ranunculus oris honore  
206 bellus it, a tergo gens numerosa subit.  
207 Gens agris hortisque potens, lateque per hortos  
208 nobilitas, late plebs dominatur agris.  
209 Bellus it asphodelus, sed enim, me iudice, radix  
210 non dedit Ascraeo fercula lauta seni.  
211 Flos prope consequitur, sed multum dispere forma,  
212 nomine non humilis, pulcher Adoni, tuo.  
213 Sed tua progenies anemone fertur euntem  
214 risisse indignum nomine, Adoni, tuo.  
215 Leucoion, quamquam totum vix deserat annum,  
216 curriculum faciens, solis ad instar, idem,  
217 officii plenum, et nullis non mensibus aptum  
218 (sed tamen hic veris maluit esse comes),  
219 egreditur campo simul, et cognomine eodem  
220 cingit odoratum lutea planta latus.  
221 Proxima caltha subit, paene omnibus illa calendis  
222 certa cliens mensis stet licet ante fores.  
223 Calceolusque cavo belloque adaptus hiatu,  
224 calceolus dignus vel pede, Flora, tuo.  
225 Necnon barba capri, socors nimique veterani  
226 dormitum medio quam juvat ire die.  
227 Buthalmosque oculi lato fulgore bovini,  
228 sive tuo potius, maxima Juno, micans,  
229 scorzoneraque flava, malis inimica novercis,  
230 ipsaque materno lacte benigna tumens.  
231 Et cava, non aestum patiens non frigora, radix,  
232 quae caute post ver advenit, ante fugit.  
233 Et tu, lunaris viola, et blattaria dulcis,  
234 digna quidem titulo nobiliore frui,  
235 albaque cardamine et pulmonaria fusca,  
236 et quas mille alias longa referre mora est.  
237 His etiam arborei fetus, fruticesque nitentes,  
238 se jungunt comites non renuente dea.  
239 Queis dedit hortorum laeto considerare regno  
240 numen floripotens, et meruere locum.  
241 Dulce periclymenum, dulci libanotis odore,  
242 dulcis et Hispano nata genista solo,  
243 et syringa duplex, cultu formosa decenti,  
244 albam sive gerit caeruleamve togam.  
245 Additur his roeae sambuci lacteus orbis,  
246 mille unus stellis conglomeratus honos.  
247 Additur et cerasus, nostrasque et Persica malus,  
248 quarum multiplici flore superbit apex.  
249 Queis natura tamen fructus prolemque negavit,

250 et sterili passa est luxuriare bono.  
251 Sed, velut eunuchi, formae decus atque coloris  
252 praemiolum raptae fertilitatis habent.  
253 His et mille aliis cedentibus aequore campi,  
254 turba petitorum sola relicta manet.  
255 Omnis erat tota comitatus gente suorum,  
256 omnis et in festa veste superbus erat.  
257 Procedit prima ante alias, quasi Phosphorus almi  
258 veris, et hos dulci dat viola ore sonos.

#### VIOLA

P\_3\_3A v.1 "Aureus portis Aries superne  
2 exit auratis quadriformis anni,  
3 verque formosum radiante portat  
4 (plaudite) dorso.  
5 Verque dum procedit (io triumphe !)  
6 floreo procedit (io !) triumpho,  
7 ferculum primum venio superbae  
8 nobile pompae.  
9 Ut decet veris sobolem decori,  
10 maximam natu sobolem decoram,  
11 purpura involvor, viridisque gesto in-  
12 -signia regni.  
13 Regio quamvis veneranda cultu,  
14 regios odi tumidosque fastus,  
15 nec sinum amplexumque humilis parentis  
16 impia sperno.  
17 Gaudet aspectu Cytheraea nostro  
18 sentiens anni reditum tepentis,  
19 nec magis certa est calidorum hirundo  
20 augur amorum.  
21 Ergo nascenti mihi multa raptim  
22 millia impingit Venus osculorum,  
23 et sacro labrum mihi purpurascens  
24 nectare tingit.  
25 Hinc calix nostri simul atque floris  
26 panditur blanda resolutus aura,  
27 parva jucundos adaperita pixis  
28 fundit odores.  
29 Dumque odoratum mea mulcet aura,  
30 dumque gustatum sapor ipse inescat,  
31 dumque mirantes color et venustas  
32 palpat ocellos.  
33 Utili lenocinio salubres  
34 corpori succos simul administro  
35 blanda et aegroto medicina quondam  
36 digna Epicuro.  
37 Fervidos hostes minimo tumultu  
38 exigo sensim sine clade victrix,  
39 corpus haud sentit placide peracti  
40 vulnera belli.  
41 Cedit, et cessisse rubescit herbae  
42 ad coronamenta epulasque natae,  
43 virium atque irae nimium potentis

44                    conscia febris.  
45        Ponit ut ventus timideque mussat,  
46        ipse Neptunus simul atque laetum  
47        increpans ventos caput aestuosis  
48                    extulit undis.  
49        Quid mihi paucos numerare flores  
50        viribus magnis nimium furentes ?  
51        Quid mihi multos specie decoros  
52                    rebus ineptos ?  
53        Principem si quid deceat rogabis,  
54        omnis hoc mundus referet roganti,  
55        magna cum multa bene lenitate  
56                    juncta potestas."

P\_3\_3B v.1        Dixit, et extemplo divini spiritus oris  
2                    demulcet totum laetificatque locum,  
3        aura diu mansit, violamque fuisse locutam,  
4                    si non audisses verba, probasset odor.  
5        Discessit, subiitque locum, quae proxima stabat,  
6                    auricularum ingens nec numeranda cohors.  
7        Tincta cohors viola, coccis et murice tincta,  
8                    pallida, flava, rubens, candida, fusca cohors.  
9        Quaeque (genus duplex) consanguinitate propinqua,  
10                    sed forma inferior, primula veris erat.  
11        Auricula has ducit cunctas, causamque perorat  
12                    lutea, quae merito maxima dicta suo est.  
13        Centena attollens quae prodigialiter ora,  
14                    centeno poterat (cum lubet) ore loqui.

#### AURICULA URSI

P\_3\_4A v.1        "Florum diva potens o radiantium,  
2        quid mixtum e variis floribus in sinu  
3        gestas fasciculum mollis eburneo ?  
4        Me, me multiplicem caule vel unico  
5        unam fasciculum, diva, fer integrum,  
6        me turba capitum dulce micantium  
7        plusquam Geryonem, monstrum et amabile.  
8        Me sidus radiis dulce salubribus  
9        multis compositum fer, dea, stellulis.  
10        In flores alius jus sibi regium  
11        et summum titulum flosculus arroget,  
12        dicar vel populus floripotens ego.  
13        Nec natura mihi vana sine omine  
14        laetorum tribuit tot capitum decus,  
15        humani capitis, principis omnium  
16        partis, nobilebus dedicor usibus.  
17        Mentis conspicuam sed fragilem Pharon,  
18        aeternae dominae nec bene congruam  
19        virtus non patitur nostra fatiscere,  
20        cum nutat dubio pondere machina  
21        laxatis superans vix retinaculis  
22        exstinctoque fere lumine mobilis.  
23        I nunc, illepidum nomen et horridum  
24        ride, si lubet, o, quod mihi inusserit

25 saeculi barbaries sordida nuperi.  
 26 Nam verum et proprium gens veterum pio  
 27 (rem sacram) occuluit cauta silentio.  
 28 In mentem tibi quid venit, ineptule,  
 29 qui primus lepidos dicere flosculos  
 30 foedae consimiles auriculis ferae  
 31 (o quisquis fueras) ausus es, impudens ?  
 32 O, non auriculis digne, sed auribus !  
 33 O amplis asini dignior auribus,  
 34 quam iudex citharae ridiculus Midas !"

P\_3\_4B v.1 Talia cantanti (neque enim tam laeta loquuntur  
 2 germina, more hominum, sed sua verba canunt)  
 3 succedis, Narcisse, puer (si credimus) olim  
 4 (perque sacram vatam credimus ista fidem),  
 5 et ducis longumque genus, variosque propinquos,  
 6 suffragatores, ambitiose, tuos.  
 7 Omnes pallor habet, vel fulgor luteus omnes  
 8 (pallore et luto corpora tingit amor),  
 9 quamquam purpureos illis indulsit honores  
 10 blandus adulator, munificusque Maro.  
 11 Pro cunctis albo flos Calchedonicus ore  
 12 Narcissi soboles indubitata, canit.

#### NARCISSUS

P\_3\_5A v.1 "Olim quis fuerim puer  
 2 quam formae nimio terribilis boni,  
 3 quae fataliter impotens  
 4 et multis nocuit, nec domino minus.  
 5 Cujus vana ab imagine  
 6 flammam elicuit vel sub aquis amor.  
 7 Notum stirpibus infimis  
 8 jam notum anniculis stirpibus arbitror.  
 9 Et quas tosta caloribus  
 10 urunt perpetuis Aethiopum sola,  
 11 et quas ripa Borysthenis  
 12 urit perpetuo languida frigore.  
 13 Ut quondam pueris puer,  
 14 sic flos emineo floribus omnibus,  
 15 nec causam poteris dare,  
 16 cur mi forma minus nunc placeat mea :  
 17 demissum teneo caput,  
 18 antiquum speculum cernere gestiens.  
 19 Da fontem mihi limpidum  
 20 antiquis videas fervere amoribus,  
 21 a nymphis et adhuc color,  
 22 et nostris decorant tempora floribus.  
 23 Me gestant tepido sinu  
 24 an mallent puerum dicere nescio."

P\_3\_5B v.1 Gens anemorarum tum se promovit, et illi  
 2 arrisit placido lumine diva favens.  
 3 Nam neque splendidior, nec gens numerosior ulla  
 4 horticola est, dicam pace, tulipa, tua.

5 Purpurea his dux est juvenis de sanguine pulchri  
 6 derivans certo stemmate pulchra genus.  
 7 Cuique anemonarum (domus est quae maxima gentis)  
 8 haud dubie primis dat platyphylla domus.  
 9 Illa decenter hiat Zephyro spirante benigno,  
 10 solvit et in tales ora venusta modos.

#### ANEMONE

P\_3\_6A v.1 " O omni requie mollior inquires,  
 2 qui mundum exhilaras flamine fertili,  
 3 o ter digne, Favoni,  
 4 nostrae connubio deae.  
 5 Inspires dominae leniter auribus  
 6 blando quo recreas omnia spiritu  
 7 commendantia verba,  
 8 et voto faveas meo.  
 9 Si ventus merito congenerem mihi  
 10 non falsi titulum nominis addidit,  
 11 si cum carcere ventus  
 12 marcens Aeolio jacet.  
 13 Confusa, et simili vincta silentio  
 14 ornatum capitis complico fulgidum, et  
 15 casu tristis amici,  
 16 florem incarcerationo lugubrem.  
 17 Si me ornat variis copia vestibus,  
 18 et laeta innumeris pompa coloribus  
 19 si me regibus aptum,  
 20 divum nobilitat genus.  
 21 Me flavi genuit sanguis Adonidis,  
 22 commixtus roseae cum lacrimis deae,  
 23 cum sacri puer oris  
 24 silvae gloria flebilis,  
 25 apri fulmineo vulnere concidit,  
 26 ut valde historicus Naso probabilis,  
 27 antiquarius ingens,  
 28 non vana retulit fide.  
 29 Quot guttae juveni purpureae cadunt  
 30 tot rorat lacrimis diva nitentibus,  
 31 formosique cruenta  
 32 aequant flumina rivuli.  
 33 Tamquam conjugio nexibus intimis  
 34 se miscent lacrimae et sanguis amantium,  
 35 pulchrorumque parentum  
 36 nascor filia pulchrior.  
 37 Quas vires habeam forte requiritis ?  
 38 Quas vires habeam ? Formam habeo bonam.  
 39 Pulchrae filia divae,  
 40 pulchri filia Adonidis."

P\_3\_6B v.1 Proxima se multa cum majestate decoris  
 2 et nimium fastus imperialis habens,  
 3 clara corona infert, nec vel divi vel iambi  
 4 incedunt tragici nobiliore gradu.  
 5 Illa propinquorum nullo venit agmine cincta,

6 illa sibi fidens agminis instar erat.  
7 Erigitur, vultuque ipsa vel iudice digno  
8 persequitur numero jus graviore suum.

#### CORONA IMPERIALIS

P\_3\_7A v.1 "Magnum hic videtis, maximum et acribus  
2 certamen actum seditionibus,  
3 natura sed nostrae verendum  
4 imposuit diadema fronti.  
5 O tot peracto verba negotio  
6 consumpta frustra ! Quae loca litibus  
7 natura si nostrae verendum  
8 imposuit diadema fronti ?  
9 Mi glorianti insignibus imperi,  
10 flori invidetis forte novicio,  
11 fraudique mi forsan futurum est  
12 nomina non habuisse Graeca.  
13 Plebeia forsan filia pauperum  
14 dicar parentum, quod traho originem  
15 nullis pudendam fabulosis  
16 aut pueris superum aut puellis.  
17 Hujusce mundi non vetus incola,  
18 rexi per annos innumerabiles,  
19 et Bactra Susasque et beati  
20 floriferos orientis hortos.  
21 Bulbus me honestat maximus aureus,  
22 qualem videmus saepe manu globum  
23 regum timendorum teneri,  
24 orbis et imperium notare.  
25 Et celsa thyrsus purpureum erigo  
26 regumque dignum sceptrigera manu,  
27 te, Bacche, victorem decere,  
28 qui domitis potuisset Indis.  
29 Florum corona cingor et aurea,  
30 interque flores turgidulae micant,  
31 dulcique distentae liquore,  
32 parvula sidera, margaritae.  
33 Ornant coronam argentea stamina  
34 et stamina ornant. Aureoli croci  
35 et circulum supra nitentem  
36 exeritur viridis capillus.  
37 Quandoque florum tergemino ordine  
38 augusta surgo, nec mihi sat placet  
39 regalis ornatus supremae  
40 pontifici locupletis horti.  
41 Invidit aether, me aspiciens, humo,  
42 claramque stellis obtinuit novem  
43 Minoidos pulchrae coronam.  
44 Debet adhuc tamen invidere."

P\_3\_7B v.1 Talia voce tonat, graditurque deamque salutat  
2 non humili gestu, sed quasi diva deam.  
3 Ah ! nimium felix, omnique ex parte beata,  
4 ni gravis ornatum dedecoraret odor.

5       Occupat inde locum dives sine fine tulipa,  
 6           lasciva et nullo luxuriosa modo.  
 7       Quotquot habet mundus tot possidet una colores,  
 8           callida mixturis se variare novis.  
 9       Non satis est auro coopertam stare corusco,  
 10           nec cocci aut conchae purpura lauta satis.  
 11       Licia sola juvant sed multicoloria vestis  
 12           Attalica pictae, vel Babylonis acu.  
 13       Sola placere oculis cura est, et dicier horti  
 14           (hoc juvat, hoc melli est) nomina summa sui.  
 15       Saepe aliqua ex illis proprii pertaesa coloris,  
 16           nec contenta suis (ut fit ubique) bonis.  
 17       Nescio quo, magno certe conamine, et aegre,  
 18           ora sibi mutat, nobiliusque micat.  
 19       Medeae veluti si cocta fuisset ahenō  
 20           (Medeae herbarum talia fecit ope),  
 21       certa mori, sed laeta tamen, neque enim illa recusat  
 22           aut dubitat tali condicione mori.  
 23       Tantus amor laudis, tantique est gloria formae !  
 24           Plus vita indecori mors celebrata juvat.  
 25       Pro reliquis causam nunc suscipit alba tulipa,  
 26           sive quod haud illa rarior ulla fuit,  
 27       sive magistratum veteri quod more petenti  
 28           conveniēns semper candida visa toga est.

#### TULIPA

P\_3\_8A v.1       "In libris (memini) vatis Horatii,  
 2           (nam vates legimus natio florea,  
 3           nos vates redamant, nullaque cernitur  
 4           florum gens studiosior),  
 5           quidam se chlamydam dives opum domi  
 6           possedissee refert millia quinquies.  
 7           Ut magnum numerat millia quinquies,  
 8           vestes bis totidem mihi.  
 9           Quot terrae facies verna puerperae,  
 10          quot fulget volucrum picta superbia,  
 11          quot scite artificum dispositus manu  
 12           gemmarum varius dies,  
 13          quot vel lucis acus docta coloribus,  
 14          intexit lepide stragula nubium,  
 15          tot vestes mihi sunt, et sequitur decor  
 16           me regalis in omnibus.  
 17          Me vestrum miseret, candida lilia,  
 18          me vestrum miseret, purpureae rosae,  
 19          quas una atque eadem continuo facit  
 20           vestis trita beatulas.  
 21          Tam frugi studiis conveniunt togae,  
 22          et quandoque gravem germina florida  
 23          picto constituent horto academiam,  
 24           vobis non deerit locus.  
 25          Ornet divitior copia principem,  
 26          ornet lautities ambitiosior.  
 27          Regem pompa decet splendida, parcitas  
 28           vectigal male sordidum est.

29 Hinc ver purpureum (veris an abnuat  
 30 quisquam in iudicio flos requiescere ?)  
 31 Me totis retinet mensibus ad sui  
 32 extremum imperii diem.  
 33 Atque his eximiis auget honoribus  
 34 pars anni tenero cara Cupidini,  
 35 non tantum faciem propter amabilem,  
 36 sed multo mihi plus amor.  
 37 Devinctus meritis interioribus,  
 38 magnum nescio quid, praesto Cupidini.  
 39 Magnum, sed taceo. Quid taceam tamen ?  
 40 Non nos taetrica natio  
 41 flores, progenies nec sumus arboris  
 42 lentae, frigidulae, putidulae, gravis,  
 43 moroso Cereris nobilis in sacro,  
 44 sed nec tu dea taetrica est.  
 45 Radix deliciis molliculis favet,  
 46 radix nequitiis nostra procacibus,  
 47 torpentes agitat lene medullulas  
 48 blandis feta caloribus.  
 49 Si cenasset eam nocte nefaria  
 50 infelix juvenis regii adultera  
 51 non invita die, nec nimium ferox  
 52 vixisset, puto, postero."

P\_3\_8B v.1 Dixerat, erubuit paulum dea conscia veri,  
 2 nec tamen et risum continuisse ferunt.  
 3 Iris subsequitur, caelestiaque ora resolvit,  
 4 iris odorato concomitata choro.

#### IRIS

P\_3\_9A v.1 "Si forma imperium potest mereri  
 2 (flores forsitan inter et meretur),  
 3 en ora imperio creata florum,  
 4 et cognomine pulchriora gemma,  
 5 et cognomine pulchriora diva  
 6 erecta ad superos verenda fronte,  
 7 et caelum referente, sed serenum.  
 8 Par est regia numini potestas,  
 9 par caelo facies decetque regem,  
 10 nullus principe dignior potenti  
 11 quam mollis titulus serenitatis,  
 12 nec certe satis est mihi esse pulchrae,  
 13 omnis livor abest malignitasque.  
 14 Pulchros efficio, meoque succo  
 15 purgatis nitor additur puellis.  
 16 Hic formosa tenui virum et deorum  
 17 captis blandior innocens ocellis,  
 18 nec nasum minus obligo, beatam  
 19 auram nectaream undequaque fundens,  
 20 nullam praeposuisse fertur olim,  
 21 ridenti mihi dulce, dulce olenti  
 22 nec seplasia delicata plantam,  
 23 nec molli Sybaris soluta luxu



24 cunctarumque potens amoenitatum.  
25 Spirant (quis negat ?) ore blandienti  
26 divinos violae rosaeque odores,  
27 spirat leucoion, crocusque serus,  
28 et nunc nomen aromatis calentis  
29 flos quondam Jovis obtinens, et omnis  
30 dives copia suave olentis anni.  
31 Sed (credo) mihi soli odora radix,  
32 formosissima partibus supernis,  
33 fragrantissima partibus profundis,  
34 utrimque utilis atque utrimque flos sum.  
35 Inter delicias severa tantas  
36 morbos undique pello saevientes.  
37 Sic turmas trepidas agit virorum  
38 vultu Penthesilea virginali,  
39 sic Martem Veneremque Pallas una  
40 diversissima numina aemulatur.  
41 Non hac inferior superba forma est,  
42 non illo inferior superba virtus.  
43 Me picta, fugit obstinata bilis,  
44 me luxus comitem Cupidinisque  
45 unguentis madidam fugit, mihique  
46 indignata velut leaena cedit  
47 hostis fulva feroxque delicatae.  
48 Me vel plus lepore hinnuloque pernix  
49 vitat praecipitans aquosus humor,  
50 audax diluvium minatus hydrops  
51 erumpensque vagus latente fonte,  
52 cum me corpore sentit ingruentem,  
53 cedit corpore paene naufraganti.  
54 Ut Nilus refluitque subsidetque  
55 contactus radio potentis astri,  
56 Hebraei (pia gens) licet deorum  
57 heu sacris aliena dicta nostrum,  
58 gens vobis Solomone nota rege.  
59 Promississe ferunt Jovem supremum  
60 cum mersum aequore recrearet orbem,  
61 nullo tempore velle se futuro  
62 submersum aequore perditum ire mundum,  
63 promissique sui velut sigillum  
64 aeternum diplomatis sacrati  
65 impressisse polo Iridem decoram.  
66 Iris nunc ego, nec minus venusta,  
67 nec forma minus efficax venusta  
68 (ipsam rem gero, cujus illa signum est),  
69 parvo polliceor venusta mundo,  
70 illum, me simul atque cernat intus,  
71 nulli diluvio obnoxium futurum."

P\_3\_9B v.1 Protenus in medio comitatus conjuge sola  
2 paeonis ingenti flos ruber ore stetit,  
3 non ea de numero magnae fiducia venit  
4 gentis : tota quidem gens erat una domus.  
5 Nec dedit hos animos regalis copia vestis,  
6 idem habitus cunctis et color unus erat.  
7 Non tamen haec frugi toga majestatis egebat,

8           atque inerat constans cum gravitate decor.  
9       Nam clarum floris late centuplicis orbem  
10           fulgentem saturo murice tollit ovans,  
11       Aglaophotin eum titulo appellare superbo  
12           non dubitant aliqui, nec meruisse nego.  
13       Quin medicorum etiam diplomata publica jussu  
14           fertur honorifice scripta tulisse deae.  
15       Namque deis Paeon medicus primarius olim,  
16           nomen apud medicos nobile servat adhuc.  
17       His igitur meritisque suis, quae maxima fretus,  
18           intrepido causam sic agit ore suam.

#### PAEONIA

P\_3\_10A v.1       "Illusa pictis si tulipa virgulis  
2           et Morionis in toga  
3       gemmata vel proles anemone Adonidis  
4           si praeferatur nunc mihi,  
5       cedat tonantis ales, et regno excidat  
6           pavone victus aureo.  
7       Cedat tyrannus saltuum, verus leo  
8           chamaeleonti futili.  
9       Vos in corollis gestitent nymphae suis,  
10           nec me corollae respuunt.  
11       Eone nomine arrogaturam mihi  
12           me nunc coronam creditis ?  
13       Me regia virtus, inque rebus arduis  
14           felicitis efficaciae,  
15       victoriaeque nobiles regem creant,  
16           non pictus armorum decor.  
17       Sic, sic furentem viribus morbum sacris,  
18           sacroque nomine Herculis,  
19       humana clavae corpore Herculeae modo  
20           ictuque sternentem unico,  
21       depello capitis arce jactantem minas  
22           iraque spumantem improba.  
23       Hinc ille succo praepotens Paeon meo  
24           curasse forsán dicitur  
25       Plutona magno vulneratum ab Hercule :  
26           curavit hunc morbum scio.  
27       Immite mortis numen, et regem inferum  
28           fuisse Plutonem ferunt.  
29       Hic ipse mors est morbus, at furens, neque  
30           defuncta mors, sed saucia.  
31       Inepta sim profecto si vires meas  
32           cum gente molli conferam.  
33       Praefiscineque dixerim, plantam mihi  
34           sol ipse non videt parem.  
35       Non ista facio cognita plantis via,  
36           diviniori sed modo,  
37       nec me necesse est corpus ingressam intimum  
38           hostem ferire cominus.  
39       Non est opus vagina, ut ense conditum  
40           virtutis internae extraham.  
41       Emissa longe namque odoris ipsius

42                   hostem sagitta conficit.  
43           Suspensa collo perduelles abditos  
44                   vallisque munitos fugo.  
45           Non ipsa vidi castra, non veni (quid hoc,  
46                   o Caesar), et vici tamen."

P\_3\_10B v.1        Talia commemorans abit ille, modesta maritum  
2                   prosequitur conjux ore rubente suum.  
3           Ecce autem totum fragrantior aura repente  
4                   exhilarare locum, splendidiorque dies.  
5           Processere rosae, quas, turma triaria, magni  
6                   scilicet haec acies ultima veris erat,  
7           silvestres aliquae, sed et his non gratia nulla est,  
8                   et virtus horto digna vel Hesperidum.  
9           Haec portentificum valet exarmare venenum,  
10                   formidantis aquam quod vomit ira canis,  
11           haec valet et lapidum duras in corpore venas,  
12                   saxaeque obsessae rumpere claustra viae.  
13           Nec, quamquam agrestis, fuerat cognatio talis  
14                   dedecori, aut summis infitianda rosis.  
15           At stetit urbanaeque tribus, turbaeque togatae  
16                   quatuor attollens signa quaterna phalanx,  
17           quarum prima venit, proque omnibus una locuta est,  
18                   Puniceo spirans suaviter ore rosa,  
19           gloria quae quondam locupletis magna Damasci,  
20                   dicitur Astartes sanguine nata deae.

#### ROSA

P\_3\_11A v.1        "Esse me quisquam dubitare possit  
2                   sanguinem verum Veneris beatae ?  
3           Ipse germanum sine fraude vultus  
4                   pingit Amorem.  
5           Dulcis et mollis, juvenisque semper  
6                   sic meus ridet, lacrimatque quondam  
7           mane vel frater, similique nobis  
8                   purpurat ore  
9           frater alatus. Foliorum et alas  
10                   ipsa distendo. Facibus relucet  
11           frater, ardentes apices et ipsa  
12                   vertice tollo.  
13           Quis meas nescit, quis in orbe, spinas ?  
14           Quis mei fratris, quis in orbe, spinas  
15                   (quas magis densas gerit atque acutas)  
16                   nescit Amoris ?  
17           Quicquid hoc mundo superoque pulchrum est,  
18                   optat et gaudet roseum vocari,  
19           haec puellarum prope summa laus est,  
20                   summa dearum.  
21           Me colit princeps orientis alti  
22                   Memnonis mater, similesque nobis  
23           vel sibi tantum digitos habere  
24                   ducit honori.  
25           Cum dies porta bipatente caeli  
26                   prodit aurato nitidus triumpho,

27 caerulam nimbis roseis plateam  
28 molliter horae  
29 divites spargunt, superas coronis  
30 undique exornant roseis fenestras,  
31 primus exorti videor diei or-  
32 -natus et omen.  
33 Cumque jam laudis satur aestuosae  
34 se domum pompa recipit peracta,  
35 limine occurro, reduciue laeto  
36 gratulor ore.  
37 Elegans pulchri speculator oris,  
38 arbiter formae criticus Cupido,  
39 intuens vultus vacuos rosarum  
40 vitat et odit.  
41 Sic apis (quandoque meus, fatebor,  
42 melleae frater similis volucris est)  
43 praeterit flores inopes odorum, ig-  
44 -nobile vulgus.  
45 Ipsa nimium nisi tineta plene  
46 spiritu vivo fuerint rosarum  
47 ipsa, vix summis patianda labris,  
48 oscula sordent.  
49 Quid quod et morbos fugo delicata,  
50 efficax virtute, modoque suavis ?  
51 Ipsa tormento resoluta leni  
52 corpora purgo.  
53 Phoebus ut nubes reserans aquosas  
54 solvit in rorem placide salubrem,  
55 non Jovis ritu, rapido experimentis  
56 fulmine nimbos.  
57 Quid mihi objectant breve tempus aevi ?  
58 Non ob hoc regina minus vocari  
59 debeo. Hoc obsit mihi nuncupari  
60 si dea vellem.  
61 Arroget nomen superis dicatum,  
62 nomen immortale amaranthus audax  
63 arroget. Nullum tamen ipsa novi  
64 Nestora florem.  
65 Ah potens flores nimium propago,  
66 et videremur genus invidendum,  
67 longa si tanti, propria et decoris  
68 dona fuissent.  
69 Quid querar nostram doleamve sortem ?  
70 Omnis humanae misere caduci  
71 gloriae flores fugiunt eodem  
72 more modoque.  
73 Fama sed fortes vetat interire,  
74 et mihi abruptum properante Parca  
75 non fugax virtus, odor et superstes  
76 prorogat aevum.  
77 Infimus vermis remanente vita  
78 mortuo fertur melior leone.  
79 Ipsa viventes validosque flores  
80 mortua vinco.  
81 Mortuam si me reputare fas est,  
82 cujus insignem vel adhuc cadaver

83 (corporis functi quasi vivus haeres)  
84 spirat odorem.  
85 Torqueant ipsum mihi vel cadaver  
86 torqueant saevi lacerata membra,  
87 exprimant omnem clibani calentis  
88 turbine succum.  
89 Aridi blandum cineres olebunt.  
90 Ut decet magnos sepelire reges,  
91 me meo natura parens odore  
92 funere condit."

P\_3\_11B v.1 Dixerat, ambrosiaque locum compleverat aura,  
2 gratia virginei mira ruboris erat.  
3 Laudibus accessit, quod eam non sponte putares,  
4 nec temere laudes commemorasse suas.  
5 Rivales tremuisse ferunt, nam diva favoris  
6 multa sui vultu signa loquente dedit.  
7 Suffragatores steterunt post terga potentes,  
8 terna propinquarum congenerumque phalanx.  
9 Lutea prima fuit, bello minus utilis illa,  
10 nullaque morborum capta tropaea ferens.  
11 Alba secunda phalanx, et non ingloria factis,  
12 quaeque oculis fidam saepe tulisset opem.  
13 Tertia vexillo, bellatrix maxima, rubro,  
14 et non pacifero laeta colore micat.  
15 Immodico fluxu labefactos sustinet artus,  
16 humorumque vagam sistit ubique fugam.  
17 Illa feros hostes ligat astringentibus armis,  
18 vincula dat victis, implicitosque tenet.  
19 Subsidio illa solet cordi cerebroque venire,  
20 cum cor aut cerebrum vis inimica premit.  
21 Illa docet spirantem ignes mitescere febrim,  
22 paulatim et somno lumina victa dare.  
23 Germinis auxilio talis demulsit Iason  
24 flammivomos tauros, supposuitque iugo.  
25 Hac ope pervigilem didicit sopire draconem :  
26 fallor an ille draco nil nisi febris erat ?  
27 Talis rubra phalanx, quae cum popularibus albis  
28 dicitur, heu, lites quondam habuisse graves.  
29 Quid de lite loquor ? Longum et lacrimabile bellum,  
30 et certamen atrox inter utrasque fuit.  
31 Nec miser Aemathiae bis inundans sanguine campus  
32 spectavit majus nobilisque nefas.  
33 Scilicet (ut mos est) regnandi dira libido  
34 solemnis tanti causa furoris erat.  
35 Nam rosa non potuit per campos rubra Britannos,  
36 et rosa non potuit candida ferre parem,  
37 huic ager Eboraci, Lancastria fertilis illi  
38 ad bellum ingentes suppeditavit opes.  
39 Quis furor, o vestras in vosmet vertere spinas,  
40 o consanguineae congeneresque rosae ?  
41 Non desunt hostes vobis, non justa triumpho  
42 materia, et nullo fama pudore rubens.  
43 Gallica nam vestro bis subdita lilia regno  
44 per roseos late nunc dominantur agros,  
45 vicinusque nimis nudum latus improbus haurit,

46 carduus et stimulos irrequietus agit.  
 47 Interea vobis per bella domestica sceptrum  
 48 et petitur nimium grata corona rosis.  
 49 Ah nimium Veneris pulchrae de sanguine cretis,  
 50 ah nimium (video), Mars violente places.  
 51 Nunc ego crediderim Martem de flore creatum,  
 52 accepit tandem fabula mira fidem.  
 53 Mars totis violentus agris bacchatur, ut horto  
 54 immissus nitido saevit aduncus aper.  
 55 Ille ruit frutices et saepimenta decora,  
 56 et laceram pando fulmine vexat humum.  
 57 Eruit ille crocos et purpureos hyacinthos,  
 58 atque epulas bulbi, lauta tulipa, tui.  
 59 Egestos tumulos subversa que germina fleres,  
 60 et vastum informi strage videre solum.  
 61 Quo me, Musa, rapis ? Vel quo producis ineptum ?  
 62 Non haec est numeris res tenuenda meis.  
 63 Dicam ego plantarum lusus rixasque jocosas,  
 64 par erit his forsitan fistula nostra modis.  
 65 Proelia plantarum et plusquam civilia bella  
 66 Lucanus tragica personet ipse tuba,  
 67 vel Thebanorum cecinit qui funera fratrum,  
 68 Virgilio vates proximus ille, canat.

## PLANTARUM LIBER IV

(1073 vers)

### FLORUM II

P\_4\_1 v.1 Felix, quem misera procul ambitione remotum  
 2 parvus ager placide, parvus et hortus, alit.  
 3 Praebet ager quicquid frugi natura requirit,  
 4 hortus habet quicquid luxuriosa petit ;  
 5 cetera sollicitae speciosa incommoda vitae,  
 6 permittit stultis quaerere, habere malis.  
 7 Talis erat magni memoratu digna Maronis  
 8 Corycii quondam vita beata senis.  
 9 Talis (crediderim) tam laetus et impiger hortis  
 10 dives in exquis Abdolonimus erat,  
 11 illum damnosas runcantem gnaviter herbas  
 12 ecce ab Alexandro rege satelles adit.  
 13 "Accipe Sidonii, vir magne, insignia regi,  
 14 sceptrum (ait) et mitram, Sidoniamque togam."  
 15 Missus in imperium tantum (quis credat ?) amatam  
 16 dicitur invitus deseruisse casam.  
 17 Respicit ille gemens hortum : "Meliora relinquo.

18           Heu (ait infelix), deteriora sequor."  
19       Talis erat generi humano vix nomine notus  
20           Aglaus, in parvo diis bene notus agro.  
21       Namque Gyges Lydas, regum ditissimus olim,  
22           impius et scelerum prosperitate tumens,  
23       "Ecquis (ait) toto me fortunatior orbe est ?"  
24           Hic Clarium est ausus voce rogare deum.  
25       Numen adulari nescit : "Felicior (inquit)  
26           Aglaus." Ille furens : "Aglaus iste quis est ?  
27       An sit eo quisquam rex nomine ?" quaerit. At illo  
28           rex certe dictus nomine nullus erat.  
29       An sit eo quisquam dux belli nomine clarus,  
30           aut superis tracta nobilitate potens ?  
31       Anne aliquis praedives opum nulloque periculo  
32           inter inexhaustas luxuriosus opes ?  
33       Nullus erat talis generis splendore, vel armis,  
34           divitiisve potens. "Aglaus iste quis est ?"  
35       At tandem Arcadiae vix nota in valle repertus  
36           (Arcadas alta quies umbraque densa tegit),  
37       strenuus exigui cultor prope Ptophida fundi  
38           (Ptophida sed tantum viderat ille semel).  
39       Invidia regum dignissimus ille repertus,  
40           teste deo felix, Aglaus ille fuit.  
41       Talis, magne Deus (si te mihi dicere fas sit  
42           ridiculorum inter nomina vana deum),  
43       talis vere Deus, nunc inclinantibus annis  
44           sit, precor, aetatis scaena suprema meae,  
45       finis inutilium mihi sit precor illa laborum,  
46           jactatae statio firma sit illa rati.  
47       Sic mea caelestem praegustet vita quietem ;  
48           dormiat, et mortem discat amare suam.  
49       Ecce iterum abripior longe. Quo, Musa, rapis me ?  
50           Otii laudatrix irrequieta sacri ?  
51       Pulchra via est (fateor), sed nostri devia coeptis,  
52           verte alio, inceptum perficiamus iter.  
53       Nunc tibi dicendum est, per totum autumnus et aestas  
54           quot quantas acies explicuere locum.  
55       Fulgentem juncto complerunt milite campum,  
56           aut quia vir numero par vel utrisque fuit,  
57       aut quia fortassis non germina pauca fuerunt,  
58           militiam exercent quae sub utroque duces.  
59       Pauca precor mihi, Musa, refer, neque enim omnia, quamquam  
60           filia Mnemosynae sis, meminisse vales.  
61       Si poteris, densas fecundae aestatis aristas,  
62           autumnique uvas enumerare potes.

63       Principium viola aestati, laetumque dat omen  
64           flammea, et aestivum concomitatur iter.  
65       Et comes autumnus, veluti Proserpina lucens  
66           anni dimidio, dimidioque latens.  
67       Pulchrior illa quidem viola cognomine verna  
68           ornatus generum possidet una trium.  
69       Argentumque aurumque et purpura fulget in illa ;  
70           o felix, similis ni tibi deesset odor !

71       Hesperis et violae sibi nomen amabile sumit,

72           rectius in titulos, Hespere, sumpta tuos.  
73 Omnes illa tibi reserat, tibi fundit odores  
74           prodiga, quos toto claudit avara die.  
75 Te plus sole colit, nec te nova nupta salutatur  
76           blandius, ut lucem sentit abire gravem.

77 Anthemis exiguum sed non ingloria florem  
78           vix levat, at vires parva gigantis habet.  
79 Illa specum reserat victrix, quo fumida Caci  
80           ignivomi febris condita more latet.  
81 Illa foveat lassos, labefactos erigit artus,  
82           egeriturque dolor, discutiturque tumor.  
83 Calculus impulsu illius dissolvitur acri,  
84           damnantis fati calculus ille malus,  
85 innatas cautes, et claustra potentius ictu  
86           fulminis aut auri, saxea rumpere amat.

87 Te, cyane infelix, vellem laudare, nec ipse  
88           diffiteor vultus sic meruisse tuos.  
89 Sunt tibi formosi vultus, caelumque serenum  
90           (quam distans caeli moribus !) ore refers.  
91 Ergo vetat laudare Ceres, diva utilis orbi  
92           agricolaeque, sacrum diisque mihi que genus.  
93 Sunt tibi mendosi mores, segetemque trucidas  
94           fertilis (o monstrum !), perfidus hospes agri,  
95 nec rubigo magis, nec belli ductor iniquus,  
96           nec mage frugiferae sus inimica deae.  
97 Quin etiam messori obstas, falcemque retundis  
98           improbis, agricolis vita obituque nocens.

99 Frons rudis est, mixtaque decens feritate nigella,  
100           et venus incompta est, horridulusque nitor.  
101 Silva impexa tibi viridis riget hispida barbae,  
102           consimilique virent cornua torta modo.  
103 Est et caeruleae vultus tibi concolor undae,  
104           flumineus quali fingitur ore deus.  
105 Pictus in hoc habitu steteras, Acheloe, priusquam  
106           Herculeae fuerant cornua fracta manu.  
107 Non hoc de nihilo est : ornatu germina vestit  
108           natura, officiis conveniente suis.  
109 Tu toto educis latitantes corpore rivos,  
110           "Currite" dicis aquis, territa currit aqua.  
111 Secretos regis anfractus, caecosque canales,  
112           flumineum humano numen in orbe tenes.

113 Quid, speculum Veneris, tantum tibi sumere nomen  
114           tam plenum invidiae, quid tibi mentis erat ?  
115 Innumeris pingit vestem tibi purpura clavis,  
116           nobilem habes, fateor, patriciamque togam.  
117 Sed speculum Veneris ? Tituli vix pondera tanti  
118           sanguine nata deae sustinet ipsa rosa.

119 Non tu tam lepidos titulos, antirrhinon, ambis !  
120           Te caput hic vitulae nominat, ille leae.  
121 Formidabilius te nominat ora draconis  
122           Anglia. Quae tituli est ista Chimaera tui ?



123 Gorgones et furias nocturnaue spectra fugare  
124 quid mirum, si te territa credit anus ?

125 Quid tibi casside opus, male caute napelle ? Timesne  
126 insidias capiti, flos scelerate, tuo ?  
127 Ah utinam tantum galeam tibi fata dedissent,  
128 impia in humanam tela dedere necem.  
129 Quid tibi cassis opus ? Non bello invadis aperto,  
130 militiam peragunt caeca venena tuam.

131 Dii bene quod galeam contra galea altera surgit,  
132 quae premit alta tuas, anthora justa, comas.  
133 Excipit haec ictus, et vulnera vana retundit,  
134 casside sub tali proelia Pallas init.  
135 Quis deus has vires tantillae, quis tibi robur  
136 monstrosum heroa cum pietate dedit ?  
137 Tu bona Medeis tantum Medea, venenis,  
138 tot scelerum vindex, sacra venena ferens.  
139 Nec tibi devicti laus sola aut summa napelli,  
140 in nullo pateris germine inulta nefas.  
141 Serpentes poterunt per te non esse nocentes,  
142 et non esse nocens Africa terra potest.  
143 Secreti cum quicquid habent elementa veneni  
144 aer, et tellus, et gravis unda vomunt.  
145 Inque homines miseros inspirant omnia mortem,  
146 et quo debet ali fomite, vita perit.  
147 Cum possit natura venefica et ipsa videri,  
148 et pro matre bona facta noverca mala est.  
149 Tum quoque lapsarum mundi miserescere rerum,  
150 tum quoque victricem sistere es ausa luem.  
151 O pulchrumque sacrumque herbae fatique duellum !  
152 Hoc hominum oppugnat, protegit illa genus.

153 Sume secundanam galegam tibi, martia planta :  
154 Virtuti flos est proximus ille tuae.  
155 Pulchra quidem es lychnis, sed qua ratione vetustas  
156 te voluit Graecae nomen habere rosae.  
157 Hoc Graeca dixere fide ; mendacia Graeca  
158 cernere ubique licet, nam tibi nullus odor.  
159 Tu tamen antiquis decus es solemne corollis,  
160 et stellant radiis tempora cincta tuis.  
161 Illustrata tuis gaudent convivia lychnis,  
162 et largo vini munere facta rosa es.

163 Lychnida majorem et speciosam lumine multo  
164 misit caecorum terra vocata prius.  
165 Candelabrum ingens, variisque insigne racemis,  
166 nec plures oculos pavo superbus habet.  
167 Tale fere regum pendet laquearibus altis,  
168 auratoque aureas verberat igne trabes.  
169 Altera divitibus mensis, altaribus ista,  
170 atque epulis divum digna lucerna micat.

171 Si quibus in terris inscripti nomina regum  
172 nascantur flores me, Maro magne, rogas,  
173 nescio. Sed certe non pauci nomina regum

174 magna ferunt, neve est is mediocris honos.  
175 Lysimachusque ornat, rex ornat Gentius hortum,  
176 hortus (io) recipit nomina tanta libens.

177 Nec dedignatur te, saponaria, nomen  
178 vile, sed et bella est forma et amoenus odor.  
179 Magna quoque est virtus : tibi cedit maximus hydrops,  
180 atque lues pulchrae filia foeda deae.  
181 Inde ministeriis victrix servilibus instas,  
182 splendescitque opera nigra culina tua.  
183 Ipse triumphatis dictator Quinctius aequis,  
184 ad sua (nec puduit) talis aratra redit.  
185 Direxitque manu stivas, et misit eadem  
186 sub juga curva homines, sub juga curva boves.

187 Quid voluit cum tot flores natura creatrix  
188 campanae formam jussit habere cavam ?  
189 Quaenam haec sunt tibi, Flora, oblectamenta jocosa ?  
190 Ad quae nescio quos ludicra sacra vocas ?  
191 Nullus in his usus, nec tintinnabula nobis  
192 reddiderint ullos tam fabrefacta sonos.  
193 Auris tarda homini est, vertentis machina mundi  
194 non notos homini fundit ubique modos.  
195 Pars aliqua e florum populis hominumque deumque  
196 gustatum, tactum, nasum, oculosque juvat,  
197 quid sensum excipimus quintum, cum forsitan illi  
198 harmonici poterint auribus esse deum.

199 O bene commixto convolvule fuse metallo !  
200 Ille Corinthiaco pulchrior aere color.

201 Dum blandi in laudes solvuntur rauca tracheli  
202 guttura, tam leni quae recreantur ope,  
203 nomen adhuc majus tribuunt collegia Romae  
204 coccina purpureae, pontificumque togae.

205 Ipsa tibi molles manicas digitalis adaptat  
206 spinosas carpis cum dea Flora rosas.  
207 Non nimium pomo flos est formosus amoris,  
208 laetior est fructus, floridulusque magis.  
209 Hoc in amore novum est ; plus tota messe reique  
210 possessae fructu flos nitet ipse spei.

211 Quam nitidas Cancris nova mittit America Chelas !  
212 Talia sidereus brachia Cancer habet.

213 Pars eadem mundi nasturtia lutea mittit,  
214 ille etiam in nostros flos venit hospes agros.  
215 Ecce, eques auratus, de carcere stipitis arto  
216 (agnoscens signum sole tepente datum),  
217 prosilit, et fulvis florem calcaribus urget,  
218 et simili flavum suspicit ore diem.  
219 Tale solet Castor cum pervolat aequora caeli,  
220 spadici nitidum subdere calcar equo.  
221 Credo aliquam pugnam fortis bellator inivit,  
222 aspice sanguineis corpora sparsa notis.

223 Ah utinam hoc habitu visus tibi, Naso, fuisset !  
 224 Narrasses lepidam gnaviter historiam.  
 225 Omnia dixisses : genus altum et fata superbi  
 226 floris, et illa rubens quid sibi gutta velit.  
 227 At nos cuncta latent seros antiqua poetas,  
 228 nec Deus exagitat, nec vetus ille furor.

229 Et tibi regalis pulchrum dat gloria calcar,  
 230 consolida, et flores magnus es inter eques.  
 231 Ornatum decuit belli atque insignia ferre,  
 232 si verum Ajacis te genus esse probas.  
 233 Floris inarmati non est pater ille, negata  
 234 qui voluit nimium fortis ob arma mori.  
 235 Parte quidem ex aliqua veteris titulos hyacinthi  
 236 te certum est vultu sustinuisse tuo.  
 237 Nam tibi adhuc remanent vestigia grata decoris  
 238 Oebalii, et vel adhuc te, puto, Phoebus amat,  
 239 et tibi lugubris signavit syllaba frontem,  
 240 heu index miseri vix dubitanda patris.  
 241 Quique invasit adhuc hyacinthi alienus honores  
 242 victus jure, novos jam sibi quaerit avos.  
 243 Nec tamen hic finis magnae de nomine litis,  
 244 sed tibi adhuc, princeps consolida, haeret aqua.  
 245 Plurima signa favent, sed et, heu, nonnulla repugnant,  
 246 nam referunt formam lilia nulla tuam.  
 247 Nescio Trojanis an te ver colligat hortis,  
 248 hic comes aestatis tardior ire soles.  
 249 Et contendit adhuc tecum de nomine claro  
 250 martagon, et causam quo tueatur habet.  
 251 Nec Laertiaden Ajacemque inter Achillis  
 252 de sacris armis lis prope tanta fuit,  
 253 quantam consolida exercent et martagon ingens  
 254 ob titulos, Ajax, relliquiasque tuas.

255 Sanguine nescio quo creta est et fraxinus herba,  
 256 Hectoris ingentis forsitan illa fuit.  
 257 Purpurea assurgunt tibi fila, cutimque rubellam  
 258 percurrit saturo vena cruore rubens.  
 259 Tu tres metropoles humani corporis armis  
 260 propugnans, uterum, cor, cerebrumque, tuis.  
 261 Arsuras tandem defendis fortiter urbes  
 262 interea, et differs qua potes usque rogum.  
 263 Fata obstant, obstat Deus imperiosus, habetque  
 264 Hectors nequicquam Troja caduca suum.

265 Nescio quas vires habeas, Cretae incola, thlaspi,  
 266 magnas credo : Jovis tu popularis habes.  
 267 Quae te dextra legit lepra, scabiosa, decenti  
 268 contactu o fiat sic scabiosa tuo.

269 Igne salutari pyrethrum calet acre, molestas  
 270 exhaurit torto dente potenter aquas.  
 271 Pars imi rubra est, summi pars candida floris,  
 272 gingivam et dentem, natus utrisque, refert.

273 Tu porcis alimenta soles, cyclamine, decora,

274           sed medicinam homini, sed dare serta deis.  
  
 275       Non muri absimilis, muri cognominis herba,  
 276           gaudet in obscuris cauta habitare locis.  
 277       Umbram amat ; adversus Phoebeia spicula plantam  
 278           aurata umbella protegit ipsa suam.  
 279       Tota riget setis, sed et est holoserica seta,  
 280           nec teneram offendit virginis illa manum.  
 281       Innumeris horret, sed multum innoxia, telis,  
 282           telorumque pia vulnera sanat ope.  
  
 283       Parvus aromatici speciem vultumque decorum  
 284           armerius dicti de Jove floris habet.  
 285       Majestas prope sola deest divina pusilla  
 286           (crediderim) : infantis flos fuit iste Jovis.  
 287       At juncti florem multi sociantur in unum,  
 288           qui vel barbato sic Jove dignus erit.  
  
 289       Te quidam armerium, muscaria planta, vocarunt,  
 290           te cui musca levis, praeda jocosa placet.  
 291       Impendis succos in retia densa, tuosque  
 292           gnaviter exsudat insidiosa dolos.  
  
 293       Sunt triplices rami, ramo ramusculus omni  
 294           tergeminus, foliis tergeminisque datur.  
 295       Tergemini simul et flores epimedion ornant,  
 296           quicquid id est, aliquid res habet ista sacri.  
  
 297       Tu quoque parva nites, neque enim tibi, ptarmica, parvae  
 298           candida multiplicis gloria floris abest.  
 299       Utque movere soles sternutamenta, salubre,  
 300           sic, puto, nascenti sternuit omen Amor.  
  
 301       At tibi formosi formosior accola Mellae  
 302           aurea purpureis frons redimita comis.  
 303       Nec pudeat prati, prato collecta virenti  
 304           rustica placavit saepe corolla deos.  
 305       Tu pia melliferae praebes alimenta volucris,  
 306           cum tibi vix tellus praebat ipsa parens.  
 307       Das hiemale penus, das anni tempore duro,  
 308           atque aestate illi flos semel esse parum est.  
 309       Officio floris radix tibi fungitur ipsa,  
 310           mellaque languenti sera ministrat api.  
  
 311       Est monstrum visu foedum, nec mole timendum,  
 312           sed multum ingenio, viribus, arte potens.  
 313       Octo pedes, totidem crurum internodia terna,  
 314           quaeque importuna mobilitate vigent.  
 315       Et pro corpore habet ventrem, deforme, rotundum.  
 316           Ventre venena tument, retia ventre latent.  
 317       Retia quae tendit culici muscaeque vaganti,  
 318           dulciaque ex raptu fercula latro vorat,  
 319       hoc satis est tibi, arachne, urbes ac tecta colenti  
 320           civilisque tibi est legitimusque furor.  
 321       At saevit majori agreste phalangion ira  
 322           et minimo ingentes conficit ore feras.

323 Dico feras ? Dentis non aspectabilis ictu  
324 mentem homini primam, mox animamque rapit.  
325 Tale, phalangita, et tam formidabile monstrum  
326 conficis, et meriti praemia nomen habes.  
327 Sic cum Scipiadae cessit pars tertia mundi,  
328 diripuit victae miles avarus opes.  
329 Dux habuit spolium belli sibi majus, et hostis  
330 cognomen domiti praeda superba fuit.

331 Producis lepidos, opulenta Peruvia, flores,  
332 mirandi nostro germinis orbe parens.  
333 Ne tibi tam placeas auri argentique metallis,  
334 quae male fecundo gignis ubique solo.  
335 Ut tantas admirer opes laudemque requiris ?  
336 Terra venenorum non magis ulla ferax.

337 Alba quatit rubro sua tintinnabula caule,  
338 nativum hic etiam monstrat iucca decus.  
339 Semina sed nostris non profert exsul in oris,  
340 pulchra sibi est, patriae fertilis illa suae.

341 Malva levat caput hortensis, paene aemula gentis  
342 arboreae, et multa stat redimita rosa,  
343 diceret hanc aliquis cernens : "Planta ista superba est,  
344 tam pulchro nimius corpore fastus inest."  
345 Mitior at nulla est, nulla est humanior herba,  
346 nulla magis suavi commoditate bona est :  
347 omnia tam placide reserat, blandeque relaxat,  
348 emollitque vias, nec sinit esse rudes.

349 Africa dat multo saturatas lumine calthas,  
350 vicini agnoscas nobile solis opus.  
351 Latus multiplexque ardenti fulgidus auro  
352 orbis, adoratas blande imitatur opes.  
353 Quaedam tota cava est. Poterat folium omne videri,  
354 aurata artifici fistula facta manu.  
355 Ah utinam bonus his animam inspirasset Apollo,  
356 fistula quam miros ederet illa sonos !  
357 Nec brevis huic flori vita est ; maturior aevi  
358 exacto moritur non nisi mense senex.  
359 Tam longa indulgent huic soli saecula Parcae,  
360 invitaque secant stamina pulchra manu.  
361 Capsula vulgaris non est qua semina condit,  
362 sed pharetrae formam picta sonantis habet.  
363 Illa quidem pulchris pharetra est onerata sagittis,  
364 illa humero flores, molliter apta sedet.  
365 Venatu indulgens cum papilionis in horto  
366 persequitur trepidam laeta premitque fugam,  
367 ille laboratas radiis solaribus alas  
368 huc temere atque illuc, heu, sine mente quatit.  
369 Qui nisi sic fugeret flos possit et ipse videri,  
370 et picto attonitam falleret ore deam.  
371 Nunc, miserande, jaces confixus cuspide floris,  
372 tactaque vix sentit terra cadentis onus.

373 Talem regna ferunt quondam felicia caltham

374           Punica, Junonis tunc rosa dicta fuit.  
375       Quo steterat Carthago ingens, haec gloria clari  
376           unica, vel certe summa relicta soli est.  
377       O florum spes fallaces et inania vota !  
378           Irrita in aequoreas quae rapit auster aquas !  
379       Olim haec speravit reducis decorare triumphum,  
380           Hannibalisque ipsas cingere forte comas.  
381       Aurea speravit Carthaginis esse corona  
382           victricis, mundi cum foret illa caput.  
383       Non dubitasset eo sibi tempore poscere regnum,  
384           Flora licet Latiae tunc dea gentis erat.  
385       Nunc illi miserae, cum patria serviat ipsa,  
386           vivere privata condicione sat est.

387       Ciste, decus parvi fruticis, tam flore pusillo,  
388           quid simulare rosas, ambitiose, juvat ?  
389       Neve parum id facias, moreris qua nasceris hora,  
390           cumque die exoriens occidis ante diem.  
391       Ah vide ne nimio constet tibi gloria tanta :  
392           o plusquam satis est, ciste, imitare rosas.

393       Lada, soror cisti, ne cedat honore rosetis,  
394           exsudat foliis balsama odora suis.  
395       Balsama, quae foedo caper improbus appetit ore,  
396           et barbae obscaenae pinguis adhaeret odor.  
397       Non scelus hoc homines tibi sic patiuntur abire,  
398           unguentata caper, sed tibi barba cadit.  
399       Curat alopecias hac ladanon arte repertum ;  
400           quid dicam ? has vires planta dat, anne caper ?

401       Objicienda tibi, jasme, unguentaria non est,  
402           hic solus flori quaestus honestus erat.  
403       At frangenda volunt alabastra, unguentaque luxus  
404           condemnant tetrici, putida turba, senes.  
405       Non (licet iratus) tam Jupiter ipse severus,  
406           mitigat iratum dulcis acerra Jovem.  
407       Dulcis odor placat superos. Opus ille deorum  
408           luxuriae, humanae sed pietatis agit.

409       Vendicat auratam malum dea nostra, legitque  
410           flores, et toto condit avara sinu.  
411       Vendicat et Pomona sibi, legit aurea mala,  
412           atque onerat calathos insatiata suos.  
413       Lis gravis est, nec lite absunt convicia tanta,  
414           nec deest iratis lingua proterva deis.  
415       Et Pomona furens : "Pomorum si tibi", clamat,  
416           "tantus amor, pomum tu tibi amoris habe.  
417       Convenit hic titulus, sed et o aliena placere  
418           quid mirum est factae de meretrice deae."  
419       Flora incensa refert : "Vertumnum novimus et te,  
420           novimus et qua tu sub nuce facta dea est.  
421       Dum simulabat anum, tu virgo pudica manebas,  
422           cum juvenili aderat corpore, tum quid eras ?  
423       Sorba manu lutea, et dotalia mespila fortis  
424           stringe, maritales collige, casta, nuces.  
425       Tam bene olens (inquit), tam pulchrum et amabile pomum

426 flos est, et carpens asserit ipsa manu.  
427 Quaedam etiam nomenque decusque legumina florum,  
428 nec probro est illis rusticus ortus. Habent  
429 nec lathyrum hortensis, nec pisum respuit aula,  
430 coccineamque videt paene superba fabam."

431 Et faba vulgaris, non pauper odoris, et albo  
432 ore nitens, oculis conspicienda nigris.  
433 Ni totos vestiret agros, nutriret agrestes,  
434 hortorum poterat non levis esse decor.  
435 Quamquam Pythagorae non intellecta renati  
436 verba quidem miserae non nocuere parum.  
437 At vos, o semper, sapientes, vera locuti,  
438 discite veridico planius ore loqui.

439 Torquet atrox gustum virtute lupinus amara,  
440 ingenium prisci quale Catonis erat.  
441 Dilue sed bene aquis illum vinoque Catonem,  
442 dulcis uterque tibi permadefactus erit.

443 Hi flores, et mille alii, simul agmine longo  
444 et pompae lento praeteriere gradu.  
445 Procedunt tracta per humum radice decenter,  
446 ut sua serpentes florida terga movent.

447 Soli mandragorae geminis bene cruribus apti  
448 humano incedunt, femina masque modo.  
449 Mandragorae bello paene est dea territa monstro,  
450 semiflorem illum semihominemque videns.

451 Abfuit hoc nymphaea choro, non, credo, quod oris  
452 fidere non ausit viribus illa sui.  
453 Forma colorque boni certe. Quot cernere ubique  
454 fastosas vultu deteriore licet ?  
455 Et si certamen de nobilitate fuisset,  
456 nulla fuit tanta nobilitate potens.  
457 Nympha palustris erat : quantum decus ! Herculis uxor,  
458 diis geniti herois, nunc quoque et ille deus.  
459 Constitit hoc magno miserae, namque Herculis illam  
460 de madido plantam numine fecit Amor.  
461 Ex illo gravis et tristis, lacrimosa, severa  
462 vivit, et ipsum odio nomen amoris habet.  
463 Concubitusque odio est, et quicquid ducit ad illum,  
464 lusus, blanditiae, liberiorque jocus.  
465 Et quia nota deae fertur lascivia Florae  
466 (de tanta hoc fas est si memorare dea,  
467 nam dum viva fuit, dum femina, semper Amori,  
468 et choreis operam, nequitiisque dedit),  
469 sistere famosum se noluit ante tribunal,  
470 nec regno hac vellet condicione frui.  
471 Ah mallet stagnis radicem, credo, relictis,  
472 ante tuum nudam sistere, Phoebe, jubar.

473 Sanctior his longe maracottam causa profanis  
474 ridiculisque simul jussit abesse sacris,  
475 pictorum vatumque deos contemnit et odit,

476 signata alterius religione Dei.  
 477 Deridet Venerem et Floram, foedumque Priapum,  
 478 et Phoebum, et ficti monstra jocosa poli.  
 479 Nescio quae, latitant sed in hoc mysteria flore  
 480 magna quidem, et nostris non referenda modis.  
 481 Nec temere, nec naturae sine mente parentis  
 482 tam non vulgaris, tam nova forma data est.  
 483 Alba decem folia expandit, toga convenit alba  
 484 virginibus castis pontificumque choro.  
 485 Purpurea duplicis limbi pars ima corona  
 486 bis cincta est, sancti martyris ille color.  
 487 Multa tegunt florem (sed tectus non latet ille)  
 488 stamina inauratis subrubicunda crocis.  
 489 Hoc diadema aliqui, spinis horrentia sarta,  
 490 sanguine tincta sacro sarta referre putant.  
 491 Et porphyriaci consurgit marmoris instar  
 492 undique sanguineis sparsa columna notis.  
 493 Sunt quoque (donati peracuto lumine visus,  
 494 namque hebetes oculos plurima mira latent)  
 495 pendula qui clare media summaque columna  
 496 spongiolam, clavos, flagra cruenta vident.  
 497 Melle tument intus dulci, capitisque figuram  
 498 parva coronati candida poma gerunt.  
 499 At radix sub humum descendit longa profundam,  
 500 Tartara victricem visere velle putes.  
 501 Et quasi si totum cuperet complectier orbem,  
 502 non exstirpanda fertilitate viget.

503 Turba petitorum restabat sola, nec ipsa  
 504 magna quidem : paucis vis ea mentis erat.  
 505 Inter odoratos regnum tam dulce petentes  
 506 ecquis te flores quaerere moly velit ?  
 507 Te cognata tibi redolentem rustica plantam,  
 508 allia, messorum prandia, moly velit ?  
 509 Est aliquid (plantae decus hoc sensere vel ipsae)  
 510 Maeonidae sacro nomen habere libro.  
 511 Hoc tibi dat magnos animos, fastumque tyranni,  
 512 hoc titulo regnum te meruisse putas.  
 513 Tanta laude tumens medium procedis in aequor,  
 514 et graveolenti audes fortiter ore loqui.

#### MOLY

P\_4\_2A v.1 "Imposuere dei nomen mihi : "moly" me vocarunt,  
 2 nomen verendum mysticumque moly.  
 3 Non bene grammaticis vox cognita, calluit sed omnem  
 4 linguam deorum, divus ipse Homerus  
 5 Moly deum lingua Graecis "mega" dicitur, Latinis  
 6 "magnum", deorum mollius sonat vox.  
 7 Victa meis divina venefica, sole nata, Circe,  
 8 cessit venenis fortibus piisque.  
 9 Vixisset sine me sollertia perspicax Ulyssis  
 10 contacta setis indecenter apri.  
 11 Illi Mercurius dedit agmina mille, vimque magnam  
 12 astutiarum consilique frustra,



13 ingenique rotam versatilis, eloquentiaeque  
14 Ni mi dedisset majus acriusque  
15 telum...

P\_4\_2B v.1 (....) multa quidem parat addere dicta, sed illi  
2 nonnullum iratum suspicor esse deum.  
3 Infelix emittit olentes ulpica ructus,  
4 famosumque gravi prodit odore genus.  
5 At circum miseri casu rivalis acerbo,  
6 gaudere, et risu cetera turba quati.  
7 Non erat invidiae tam pauper planta ferendae,  
8 nominis (heu demens !) ambitiosa sacri.  
9 Et coepere omnes lusu cantare jocosos  
10 (nota illis lyrici carmina vatis erant),

P\_4\_2C v.1 "Parentis olim si quis impia manu  
2 senile guttur fregerit,  
3 edat cicutis allium nocentius,  
4 o dura messorum ilia ! "

P\_4\_2D v.1 Sed laetum abruptit, subridens ipsa, tumultum,  
2 significans nutu se dea velle loqui.  
3 Molliter efficta in vocem suavissima suavam  
4 aura, profanatum lustrat odore locum :  
  
5 "Non mendax vanusve mihi dicetur Homerus  
6 (me quamquam omisit versibus ille suis)  
7 turpiter hoc, sed mi fas est ignoscere caeco,  
8 munifice reliquos obligat ille deos.  
9 Quisquis tam pius est, veracem credite eundem  
10 et de moly suo non nisi vera refert.  
11 Mortales 'baaran' Hebraeo nomine dicunt,  
12 Maeonides sacro nomine 'moly' vocat.  
13 Est talis mihi flos. Infelix, est mihi dico ?  
14 Nempe fuit, sed jam nomina sola manent.  
15 Postquam nota homini tam dia potentia plantae  
16 suspecta, et superis invidiosa fuit.  
17 Mercurioque patrem, quod eam monstrasset Ulyssi,  
18 iratum colaphos fama dedisse refert.  
19 Non equidem hoc vidi, sed vidi (proh scelus !) ipsa  
20 indignis miserum moly perire modis.  
21 In barathrum radix descendit nigra profundum,  
22 exstirpare illam vix deus ipse valet.  
23 Velle quidem credas mundi cacodaemonas imi  
24 horridaque inferni monstra fugare soli.  
25 Jupiter irridens : "Opus est haec improba multas  
26 et non vulgares ut bibat (inquit) aquas."  
27 Ergo deam Lympham vocat, et mirabile, dixit :  
28 "Per Ciconum nosti serpere flumen agros,  
29 hinc tu marmoreas undas dea largiter hauri,  
30 et quocumque vides crescere moly loco,  
31 funde super nimbos, sed funde capacibus urnis,  
32 et multo bibulum rore benigna riga."  
33 Jussa facit, plenos illi non invidet haustus,  
34 mortifera haud parce frigora moly vorat.  
35 Protenus (horrendum dictu) pro caule columnam

36 stare, atque in summo sculptile floris opus.  
37 Marmoris et fusci radicem ducere venas ;  
38 o monumentum ingens mortua planta sui !  
39 Hunc habuit finem parvi immoderata potestas  
40 germinis, et superis fama propinqua nimis.  
41 Quid mirum, Jovis ingentes si pertulit iras  
42 rivalis summi flos meus ille Jovis ?  
43 Ille admirandus castae Junonis adulter,  
44 ille deae conjux, et pater ille dei ?  
45 Quid genuit ? Numen. Nec de mediocribus unum,  
46 paene suo vitrico par, et (ut ille) tonans.  
47 Et genuit tactu, non magno humilique labore  
48 quo sobolem extundit Jupiter ipse suam.  
49 Forma quidem (quantum vitae natura virentis  
50 passa est) totius bellica floris erat.  
51 Fingitur in rigidam gladii folium omne figuram,  
52 et caesim et punctim vulnera ferre valens.  
53 Et ferrugineam variant discrimina rubra,  
54 lamina ceu chalybis sanguine tincta nitet.  
55 Sanguineusque horret falcatis undique spinis,  
56 caulis et in toto purpurat ore cruor.  
57 Fundus habet clypei speciem, micat aureus umbo  
58 in medio, at capitis stat galeatus apex.  
59 Stamina habent arcum, nervos, albasque sagittas,  
60 puniceo auratum nec pede calcar abest.  
61 Huic equidem castam bellatricemque Minervam  
62 constituebam apto jungere connubio.  
63 Quo fieret vitae servata lege severae,  
64 atque illibata virginitate parens.  
65 Unicus ille meis (fateor) crescebat in hortis,  
66 et mihi ob id phoenix nomine dictus erat.  
67 Seminis infelix hic fertilitatis egebat  
68 auctor, et eunuchus flos erat ipse sibi.  
69 Utque propagarem mundo tam nobile germen  
70 tentavi, fateor, sedula mille modos  
71 ingenio desperandum nihil arbitror, arte  
72 omnia vincuntur, scilicet arte deum.  
73 Jamque tener veteri bulbus succrescere bulbo,  
74 coepit phoenicis spes prope certa novi.  
75 Ecquis erit finis ? Turbatus Jupiter inquit :  
76 "Exspectem hic infans dum creet ipse deos ?  
77 Aequalem in caelis (patiar modo) nempe videbo,  
78 progeniem floris, progeniemque Jovis."  
79 Ergo monstrum horrendum ingens cui lumen ademptum  
80 insolito talpam terribilem ore facit.  
81 Ille rapax praedo nostris immittitur hortis,  
82 mole minor, similis sed Caledonis apro.  
83 Quas dederit late strages pictasque ruinas  
84 quis poterit siccis commemorare genis ?  
85 Illum nec poterat ricinus, nec sulphuris aura,  
86 nec laseris, nec odor, moly, fugare tuus.  
87 Nec contentus erat majorum more suorum  
88 venatum vermes ire, levesque feras.  
89 Ille Epicureus bulbos et tubera porcus  
90 pulpamenta vorat deliciasque meas.  
91 Uno nempe decem mihi librae pendo coronas,

92           totque tuliparum perdidit ille die.  
 93       Quot vellem superum certe nunc vendere nulli  
 94           vel mihi bis decies si numerata daret.  
 95       Fortiter ista tuli et divine, talia damna  
 96           ex facili nostrae perpetiuntur opes.  
 97       Dum paro vim contra, talpa exsecrabilis ille  
 98           Phoenicem rapido devorat ore meum.  
 99       Cumque parente simul (facinus crudele !) tenellus  
 100           affixus latri bulbulus ipse perit.  
 101       Heu scelus !" Hic lacrimae, nempe hic crystallina roris  
 102           (hoc lacrimare deae est) plurima gutta cadit.  
 103       Dissimulare cupit fletus, atque humida terget  
 104           per causam admota leniter ora manu.  
 105       "At tu, moly novum, quod forte comedit Homerus  
 106           (nam nimium ille, pudet dicere, pauper erat),  
 107       sed puto quod nullo celebrandum carmine duxit,  
 108           haec exempla videns nomina tanta fuge.  
 109       Ah ! fuge crudeles divinae stirpis honores,  
 110           intra naturam sit satis esse tuam.  
 111       Rustica tu suboles, ruris fortuna beati,  
 112           non plantae debet, non homini esse probro."  
 113       Finierat, mollique astantia lilia nutu  
 114           evocat arridens, et jubet ipsa loqui.

#### LILIUM CANDIDUM

P\_4\_3A v.1       "Qualis superbum lotus olor caput  
           2       Trentae sereno vel Thamisis vado  
           3           attollit, et turgens aquarum  
           4           despicit inferius nitorem,  
           5       se talis horto flos meus exerit.  
           6       Sic ore celsus germina candido  
           7           subjecta contemnit, paremque  
           8           stare negat sibi in orbe florem.  
           9       Infantis aetas prima tenelluli  
 10       nutritur albis, mollibus et cibus,  
 11           quo pulchra candorem benignum  
 12           ora trahant niveique mores.  
 13       Hinc cuncta aluntur lacte animantia,  
 14       pulchris bonisque hoc sat mediocribus.  
 15           Me lacte sed nasci, verendo  
 16           lacte deae voluere fata.  
 17       Junonis olim turgidula ubera  
 18       sugente magno fortiter Hercule,  
 19           prorupit atque undavit albi  
 20           vis subito immoderata fontis.  
 21       Qua fluxit, albo semite protenus  
 22       tincti pavementum enituit poli,  
 23           guttaeque formosi liquoris  
 24           per tenues cecidere rimas.  
 25       Illae receptae fertilis in sinum  
 26       terrae, resurgunt candida lilia,  
 27           et lacteis (monstrum decorum !)  
 28           prata micant animata glebis.  
 29       Humana tali mens ab origine est.

30 Utraeque caeli particulae sumus.  
31 Ramenta caelestis metalli  
32 lapsa in humum pretiosa vilem.  
33 Mens illa felix quae, similis mei,  
34 sacrae colorem servat originis,  
35 candore nativo venusta,  
36 nec maculata, nec erubescens.  
37 Ornata nostro pax habitu venit,  
38 et pulchra pacis filia faustitas,  
39 et spes renidentes benignum,  
40 turbaque lucida gaudiorum.  
41 Donata vultu est alba fides meo,  
42 et pulchritudo est, sacraque castitas,  
43 rarisque conjunctae puellis  
44 flore meo bene copulantur.  
45 Natura multos lumine turbido,  
46 mixtisque tingit lauta coloribus  
47 flores, sed unum me revestit  
48 luce mera, liquidoque honore."

P\_4\_3B v.1 Sic ait, atque supersedit bene conscia formae  
2 planta suae, dotes commemorare alias.  
3 Multa sequebantur diverso lilia vultu  
4 candentem dominam, nec pudor ullus erat.  
5 Ipse sequebaris generis, flos martagon, alti,  
6 qui magni Ajacis diceris esse nepos.  
7 Sed tanti herois generoso sanguine nasci  
8 quam vel lacte deae gloria visa minor.  
9 Tum vero ante alios expergefata resolvit  
10 et flos (sed tarde) somnifer ora levat.  
11 Ambitione ipsum vigilat suadente papaver,  
12 et causam (non hoc munus inertis) agit.  
13 Voce graves stimuloque abrumpit gloria somnos,  
14 et cantum, et Gallis gloria calcar habet.

#### PAPAVER

P\_4\_4A v.1 "Somne, lenimen placidum doloris,  
2 gaudium curae, requies laborum,  
3 sola morborum medicina grata,  
4 somne beate.  
5 Somne, non fallax miserorum amice,  
6 hospes agrestis sine fraude tecti,  
7 pauperum fautor, deus innocentum,  
8 optime somne.  
9 Somne, qui mundum vicibus gubernas  
10 cum Jove aequatis, mediumque numen  
11 inter et Plutona es, et inter illum  
12 maxime somne.  
13 Justus es (justum decet ut probumque  
14 numen), hic coram fateare fungi  
15 te tui virtute operaque nostra  
16 munia regni.  
17 Illa non segnis (licet esse segnem  
18 diceres) late volitat per auras,

19 et gravi plumbo feriens volucres  
20 sistere gaudet.  
21 Illa componit placida quiete,  
22 inquires, regnum maris, insulasque  
23 mobiles ponti religat catenis  
24 grandia cete.  
25 Illa pantheras rapidos et ursos,  
26 illa silvarum dominos leones,  
27 et feras tigres domat, et furentes  
28 illa tyrannos.  
29 Qui vel aspectu basiliscus ipso  
30 durus occidit, juvenumque corda  
31 dulcibus torquens oculi venenis  
32 pulchra puella,  
33 improbas vires et acuta condunt  
34 tela cum nutu jubeo potenti,  
35 et venenatis gravidam sagittis  
36 claudo pharetram.  
37 Regulum sed quid loquor, aut puellam,  
38 summa serpentum genera aureorum ?  
39 Vis mea occidit superos perennes  
40 funere curto.  
41 Excipit solum superum parentem  
42 (jure an excepit dubito) poeta.  
43 Impii possunt vigilante caelo  
44 esse beati ?  
45 Cum Jovem clamat penetratque nubes  
46 voce inaudita cruor innocentum,  
47 nonne tunc dormis ? In utramque dormis,  
48 Jupiter, aurem.  
49 Siquis invisum Cereri benignae  
50 me putat germen, vehementer errat.  
51 Illa me in partem recipit libenter  
52 fertilis agri.  
53 Meque frumentumque simul per omnes  
54 consulens mundo dea spargit oras,  
55 "Crescite, o (dicit), duo magna susten-  
56 -tacula vitae.  
57 Carpe, mortalis, mea dona laetus,  
58 carpe, nec plantas alias require,  
59 sed satur panis, satur et soporis,  
60 cetera sperne.  
61 Ipse se nostro exhilarat sapore,  
62 meque commixtus liquidoque melle,  
63 se vel ad mensae relevat secundae  
64 panis honorem.  
65 Spiceis ornata Ceres corollis,  
66 me manu gestat, tetigitque primum  
67 ore, materni diuturna post je-  
68 -junia luctus.  
69 Praetulit cunctis mea jure grana,  
70 grana quae certe potuere sola  
71 et famem longam simul et dolores  
72 solvere longos.  
73 Ergo fecundum super omne germen  
74 me Deus fecit, numeroque turbae

75 Persicum vincit mea seminalis  
76 capsula castrum.  
77 Fertiles crescunt homini labores,  
78 fertiles crescunt et ubique morbi,  
79 cura per totum vigil evagatur  
80 fertilis orbem.  
81 Vidit hoc mundum miseratus aegrum  
82 Jupiter, viditque deditque nostram  
83 totque tantisque antidotum venenis  
84 fertiliolem."

P\_4\_4B v.1 Dixerat haec, et plura (puto) meditata referre  
2 mens erat, at cursu substitit in medio.  
3 Planta soporato nutabat languida flore,  
4 nec poterat vires ferre gravata suas.  
5 Mira loquor (sed quid timidus nimiumque modestus  
6 haec taceam, certa mira relata fide ?)  
7 Siqua fides (neque enim historiae mendacia verae  
8 more poetarum jungere vana velim)  
9 florea reclinante ad humum lenta cervice  
10 nictabat dubiis contio tota oculis.  
11 Narcissus velut obstipus tristisve hyacinthus,  
12 Jupiter immodico cum premit imbrem caput.  
13 Senserat hoc Zephyrus, ridetque atque increpat alis,  
14 attonitumque quatit fortior aura locum.  
15 Oscitat ad flatum atque oscula nota mariti  
16 prima dea, atque oculos vix levat ipse graves.  
17 Purpureis motu incerto pudibunda soporem  
18 deterget digitis, et rogat "Hora quota est ?"  
19 Paulatim reliquae mirantia lumina volvunt,  
20 concutiuntque comas suspiciuntque diem.  
21 Praecipue florem solis torpore diurno  
22 turpiter ignavum succubuisse pudet.  
23 Pondera sed capitis magni semperque reclivis  
24 causatus, somnum dissimulare cupit.  
25 Ante deam multa stat maiestate verendus,  
26 atque ita Phoebaeo protenus ore canit.

#### FLOS SOLIS

P\_4\_5A v.1 "Legitimus simili si filius ore probatur,  
2 certumque reddit, teste natura, patrem,  
3 credite me, fratres, cum vos spectabit Apollo,  
4 suspectam habebit conjugis terrae fidem.  
5 Per Stygia iurabit, mea cum conspexerit ora,  
6 alio creatum non fuisse me patre.  
7 Et color auratae, clypeataque frontis imago,  
8 radiisque cinctum convenit Phoebaeo caput.  
9 Et nisi mortali genitus de matre fuisset,  
10 hic vultus inter astra donasset locum.  
11 Me, prolem caeli, fratrem ne dicite, flores  
12 vos, o gigantum terre fraterculi.  
13 Subscribit formae pietas, et fortius addit  
14 amorque pietasque testimonium.  
15 Ipse, meum semper submisso vertice adoro

16           semperque specto, semper observo patrem.  
17       Qua vertit vultus, vultus obverto sequaces,  
18           et semper haerent oculi in obtutu pio.  
19       Viderat hoc sapiens pater (ut videt omnia) Phoebus,  
20           spuriisque vobis aut dubitandis liberis,  
21       has pro dote dedit terras in paupere mundo,  
22           sacri metalli (nempe Phoebui) indigo.  
23       At mihi divitibus sedem assignavit in oris,  
24           regnare late jussit orbe in aureo.  
25       Ille suos inter thesauros jure reponit  
26           vivam monetam, imagine impressam sua."

P\_4\_5B v.1       Dixit, et haud humili reverenter more salutatur  
2           bisque deam flexo vertice, terque patrem.  
3       Flos subit eximius, titulo majore superbus,  
4           flos Jovis, et pulchra talia voce refert.

#### FLOS JOVIS, CARYOPHYLLUS

P\_4\_6A v.1       "Iste auctore satus medicinae, quomodo nullam  
2           vim medicam sibi jactat inesse ?  
3       At Jove natus ego, et proles Jove digna parente,  
4           cor regnum mihi vindico summum.  
5       Ille oculis placeat fulvo spectabilis auro,  
6           aurum ego sum laetabile cordi.  
7       Nec poterunt tantum curae morbique levamen  
8           ipsa Tagi vada tinnula flavi.  
9       Nec tu, flos solis, medicamen patria fulva  
10           vel dare tota Peruvia tantum.  
11       Non poterit meus ipse pater, si rursus ab alto  
12           in rutilo descenderet imbre.  
13       At tu, ne florem locupletem crede, colore  
14           sit totus licet aureus, uno.  
15       Quas tibi fingis opes ? Indutum semper eadem  
16           pauperis est incedere veste.  
17       Ipsa mihi ternis tunicis, vel forte quaternis,  
18           nec rosa dives habebitur umquam.  
19       Dicenda est opulenta anemone, opulenta tulipa est,  
20           et sese utraque vestit honeste.  
21       Sed mea vel tales opulentia vincit utrasque,  
22           et Croesus vocor ipse colorum.  
23       Nulla quidem illarum (veluti locupletis avari)  
24           munera vel benefacta videntur.  
25       Nostra suis opibus par est bene prodiga virtus,  
26           et melli est relevare misellos.  
27       Nec mihi dulcis odor, quamquam bona fama, recusat  
28           tantorum comes esse bonorum."

P\_4\_6B v.1       Vox, odor, atque habitus, vultusque statusque placebant,  
2           omnia dicenti plena decoris erant.  
3       Nec modo rivales reliquos turbabat, at ipsi  
4           invidiosus erat terribilisque rosae.  
5       Longa sequebatur succo gentilis eodem  
6           creta cohors, forma, vi, numeroque potens,  
7       ex agris aderat simul his cognatio magna,

8 et non ingrata simplicitate rudis.  
 9 Inde Gigantaeo subnixis robore parvi  
 10 successere loco, gens numerosa croci.  
 11 Dux erat his quem purpurea ferrugine tinctum  
 12 anni declivis morbifera astra vident.  
 13 Quem domitis caeli ipsius sensere venenis  
 14 insignem bellis et pietate ducem.  
 15 Incepturus erat cum respicit ille, videtque  
 16 impia militibus Colchica mixta suis :  
 17 "Quid mihi vobiscum est ? " clamat. "Procul ista, profana  
 18 germina, nec causam dedecorate meam.  
 19 Ad sua vos Circe nocturna nefandaque bella  
 20 aut Medea ferox, dux popularis, agat.  
 21 Cum vocat illa suos celebratque charistia sancta,  
 22 vos eritis cena fercula prima piaae.  
 23 Ite procul, fraterna revisite toxica Ponti,  
 24 o florum, o terrae dedecus atque poli."  
 25 Sic ait increpitans, nam sit licet ille benignus,  
 26 fervet et ignescit bile venena videns  
 27 quanta est virtutis reverentia sacra probatae !  
 28 Demisso tacite diffugiunt capite.

#### CROCUS

P\_4\_7A v.1 "Sunt qui nominibus tument sonoris  
 2 aut Phoebi patris aut Tonantis alti,  
 3 at mi non licet esse tam superbo  
 4 qui flores humilis fero pusillos.  
 5 Implet gloriolam beatque nostram  
 6 nomen nobile consecrati amantis.  
 7 Quam post taedia turbulenta vitae  
 8 per spes languidulas, metusque acutos,  
 9 per fletus querimoniasque tractae,  
 10 tandem Jupiter aequus innocenti  
 11 (magnus non pater est mihi, at patronus)  
 12 sub floris reliquos dies figura  
 13 laetos degere dapsilesque jussit.  
 14 Nec tantum mihi dixit : "Esto laetus.  
 15 Dones laetitiam, manuque larga  
 16 dispergas ubicumque (dixit) ibis."  
 17 Haec dicens tria quatuorve flori,  
 18 auri sidere tinctorum praepotenti  
 19 junxit stamina, condiditque in illis  
 20 centum laetitias lubentiasque,  
 21 centum gaudia, centum amoenitates,  
 22 risus, blanditias, jocos, lepores,  
 23 scintillas celeres et enitentes,  
 24 auratae Veneris Cupidinisque.  
 25 Pellit tristitiam metumque Bacchus,  
 26 sed tamquam medicaster imperitus.  
 27 Nam vivunt redeuntque fortiores.  
 28 Serpentis caput obtero sed ipse,  
 29 vanis vorticibus rotata cauda  
 30 parvo tempore contumax repugnat.  
 31 Humoribus mea vis malas paludes,



32 auras pestiferas gravesque pellit,  
33 et morbos fugat et fugat venena,  
34 et quicquid premit obsidetque corda,  
35 purgato bene corde liberoque,  
36 per venas placidas per et micantes.  
37 Maeandros vaga corporis per omnes  
38 discurrit, fugit ac redit vicissim,  
39 quam pellucida, laeta, ludibunda,  
40 festive saliens nitensque vita !  
41 Quid morbos juvat expulisse corde  
42 si pulmonibus hostis occupatis  
43 praecludens aditus, viasque caeli  
44 rumpit foedera commeantis aerae ?  
45 Sed non hoc patior, sacramque ab udis  
46 tersam vindico spongiam venenis,  
47 nostro spiritus undequaque tutus  
48 quo vult itque reditque commeatu.  
49 Ingratus nimis immemorque amici,  
50 indignusque data foret salute  
51 in praeconia nostra si negaret  
52 ullam impendere liberatus auram.  
53 Sed me qui documenta magna amoris  
54 perfecti dederam magister olim,  
55 me vel nomen adhuc sacrum puellis,  
56 neglexisse uterum locumque carum  
57 et mos et pietas vetant amantum.  
58 Quicquid vivificas lacessit oras,  
59 et nidum male vexat aestuantem  
60 naturae tenero incubantis ovo.  
61 Proturbat mea vis forasque trudit,  
62 fructum concutit et revellit ipsum  
63 cum matrem premit egredique pugnat,  
64 ipsos enumerandus inter hostes.  
65 Quod si florea principem recusas  
66 talem natio, commodum piumque  
67 laetum et laetitiae bonum datorem,  
68 sed justum tamen et malis severum,  
69 sed fortem tamen impigrumque bello,  
70 si vis vivere serva sub tyranno,  
71 nostro nos tibi Colchicum profecto  
72 commendabimus improbum propinquum."

P\_4\_7B v.1 Dixit, concussisque locum vis terve potenter  
2 staminibus laeto sparsit odore crocus.  
3 Omnia jucundo perfundit germina nimbo,  
4 nectareasque animae divitis halat opes.  
5 Illa repentino testantur fulgure vultus,  
6 et leviter motis gaudia muta genis.  
7 Tristitiam tetricis pellit, rivalibus ipsis  
8 invidiam, cunctis cuncta venena fugat.  
9 Attonitum relevat languentia colla papaver,  
10 et rorem somni discutit ore gravem.  
11 Purpuream felix amaranthus surgit in hastam  
12 ultimus, atque humiles despicit ipse crocos.  
13 Magnificae tumidos animos dat gloria spicae,  
14 et tituli ambitio non moderata sacri.

AMARANTHUS

P\_4\_8A v.1 "Imbelles violae, futilis et rosa,  
 2 eheu, purpurea praecipites fuga,  
 3 formosos pueros atque puellulas  
 4 ornent hemerocallidas.  
 5 Nos aeterna deum tempora cingimus,  
 6 aeternis comites semper honoribus,  
 7 et numquam capiti vel coma decidit,  
 8 vel nos decidimus comis.  
 9 Spectate innumeras undique stellulas  
 10 gemmantes superis in viridariis.  
 11 Sunt nostri similes, si mihi creditis,  
 12 sunt flores amaranthini.  
 13 Hoc calthasque rosasque albaque lilia  
 14 et vel mille alios nomine flosculos  
 15 hortis aetheriis Cynthia suspicit,  
 16 sed me despicit unicum.  
 17 Sunt floris titulum qui mihi denegant,  
 18 et spicam vocitant floream, ineptuli.  
 19 Non vulgare quidem (nec pudet hoc) decus,  
 20 sed privum et proprium est mihi.  
 21 Me forma fateor surgere dispari,  
 22 et vultu insolito ; sed quid habet novi  
 23 immortalia si germina differunt  
 24 a mortalibus omnibus ?  
 25 Dii non sanguinem habent, sed quasi sanguinem,  
 26 Di non corpore habent, sed quasi corpora.  
 27 Sum divis similis : non ego floribus  
 28 consto, sed quasi floribus."

P\_4\_8B v.1 Finierant cuncti, et late gemmante corona,  
 2 dispositi turmis ordinibusque suis,  
 3 circumiere deam, ac pressis siluere labellis  
 4 intenti : caules speque metuque tremunt.  
 5 Illam personae reverentia congrua tantae  
 6 componit placidam, blanditiasque domat,  
 7 annuit, et vultum effingit lasciva severum,  
 8 pictaque Minois se gravitate levat.

9 "Inter multa meae memorans miracula Romae,  
 10 concilium augustum purpureumque, patres,  
 11 se Cineas regum dixit vidisse senatum,  
 12 tantum erat in cunctis imperiale decus.  
 13 Talem ego nunc coetum video, nullumque corona  
 14 non dignum, haec inter millia, stare caput.  
 15 Difficilem electum tam dives copia reddit,  
 16 et lances trutiniae firmat, utrasque replens.  
 17 Invidiam tituli deponite, censeo, tanti,  
 18 et sibi nemo, omnes quod meruere, petat.  
 19 Ut verum vobis fatear, Romana, Quirites,  
 20 sum dea, nec regem jura creare sinunt.  
 21 Tarquiniumne hortis potero regnare Superbum,  
 22 Romulea factum numen in urbe pati ?

23 Et bene si memini gavisus est vestra tyranni  
 24 sacrilegi justa natio tota fuga.  
 25 Ille Gabinorum praeludens caedibus, horto  
 26 messuit infelix lilia summa suo.  
 27 Non hominum, florum capiti non ille pepercit,  
 28 abscidit horribili saevus utrumque joco.  
 29 Vos quoque terrarum dominos imitarier aequum est,  
 30 florigena ductum nobile Marte genus.  
 31 Esto igitur, semperque mane, respublica florum,  
 32 ordine plebeio patricioque potens.  
 33 Quod felix faustumque fiet vobisque mihique,  
 34 jucundumque hominum sensibus atque deum.  
 35 Tu, rosa, sis consul, collegam lilia sume,  
 36 pulcher et auspiciis talibus annus eat.  
 37 Praetores estote regendo quatuor anno,  
 38 praetura vernam, pulchra tulipa, cape.  
 39 Flos aestiva Jovis, crocus autumnalia jura  
 40 dicat, et helleboro bellica cedat hiems.  
 41 Invigilate, datum officii est, non munus honoris  
 42 ipse honor est vobis, ipsaque vita brevis."  
 43 Dixerat, assensere omnes, luctumque repulsae  
 44 praesentem, sortis spes repetenda levat.

## PLANTARUM LIBER V

(1200 v.)

### POMONA

P\_5\_1 v.1 Altius elatis insurgite carmina talis  
 2 et pedis heroi gressum relevate cothurno,  
 3 alta cano : gentem arboream, gentem aethere multo  
 4 vicinoque polo et Phoebos propiore beatam.  
 5 Illa leves odit pulchellis floribus aptos,  
 6 despicit illa humiles et dignos gramine versus.  
 7 Cetera materno in gremio se germina condunt,  
 8 et vitam aereo tenuem non ausa profundo  
 9 credere, tuta legunt ventosi litora regni.  
 10 His deus ora dedit sublimia ferre per auras  
 11 ad caelum, et plantas subter ridere timentes,  
 12 atque parum erectos hominum contemnere vultus.  
 13 Herculeas metas inter magnique Columbi  
 14 fulvum orbem medio longe jacet insula ponto,  
 15 fortunatarum pulcherrima, quam beat ingens  
 16 naturae favor, et mira indulgentia caeli.  
 17 Non illic placidum, constans, solidumque serenum  
 18 importuna cohors venti pluviaeque lacessunt.  
 19 Solus odoratis alarum molliter auris

20 plaudit humum Zephyrus fecundoque incubat anno.  
21 Non illam tristi nubes lacrimosa macraque  
22 pascit aqua, tacito saturat sed rore benignus  
23 aether, et succis vitalibus astra saginant.  
24 Perpetuum et nullo violabile frigore regnum  
25 occupat hic modicis defensa caloribus aestas,  
26 ditior autumnus, vere et formosior ipso.  
27 Hic locuples nullis conturbat mensibus arbor,  
28 sed frondes simul et flores, fructusque ferentem  
29 omnis laeta videt, videt omni Cynthia vultu.  
30 Plurima nec tribuens, quaedam negat invida more  
31 nostrati ; hic eadem semper fert omnia tellus.  
32 Hunc coluisse locum studio Pomona perenni  
33 posthabitis magni Alcinoi dea dicitur hortis.  
34 Hanc sapiens mundi mediam veterisque novique  
35 pomiferis statuens umbrosam gentibus urbem  
36 (arborei caput imperii sedemque verendam)  
37 conscriptis ab utroque replevit civibus orbe.  
38 Illam tergemino circumdant undique vallo  
39 muricibusque adytum prohibent paliurus acuta  
40 et rubus et rhamni, et semper florens pyracantha,  
41 et spina appendix, et spina potentior alba,  
42 vel magicas etiam valeat quae pellere noxas.  
43 At lepido directae intus quincunx plateae  
44 totam oculis pandunt viridem gaudentibus urbem,  
45 in medioque deae stat vivis fulta columnis  
46 et testudineis aedes topiaria ramis,  
47 cui circum paries et frondescentia tecta  
48 omnigenis distincta nitent pulcherrima pomis :  
49 esse putes variis anaglypta exstantia formis.  
50 Hic dea, jam lectis fecundi fructibus horti  
51 (nempe alibi lectis, hic nullo tempore cessant)  
52 vulnerat aversum cauda cum Scorpius annum,  
53 et gelido effertur reddit sterilemque veneno,  
54 hic sua sollemni sacra Vertumnalia more  
55 sacra sui vario de nomine dicta mariti,  
56 ambitione colit multa, instauratque quotannis.  
57 Illo lauta die (neque enim tum prodiga dici  
58 diva opulenta potest) hortensibus apparat ingens,  
59 ruricolisque deis epulum. Venere frequentes  
60 patricio primi, summoque ex ordine caeli  
61 consentum bis sena cohors. Nec abesse Priapus  
62 sustinet, et prurit lascivus in hospite diva.  
63 Venit magna Pales, umbraeque virentis amator  
64 Pan deus Arcadiae, stimulat Silenus asellum  
65 pone sequens tardum, necnon agrestia Fauni  
66 numina capripedes laeti ad convivia saltant.  
67 Subsequitur vulgus superum, raroque superbum  
68 thuris honore sacri : Picumnus stercore diti  
69 sordidus, et condus frugum Tutanus avarus,  
70 et Collina tumens, et tu, Vallonia, pinguis,  
71 et Rurina pedes latos perone revincta,  
72 et centum arboreae nymphae per candida colla  
73 effusae, viridesque comas mollemque gerentes  
74 depexam foliis tenuive ex cortice vestem.  
75 Ipsa novos quoque misit America rustica multos

76       terribiles habitu, formaque et nomine divos.  
77       Omnia quis poterit, quis si centum ora darentur,  
78       gustare illius vel dicere fercula mensae ?  
79       Nullius fruticis, nullius et arboris illic  
80       symbola defuerant. Circumstant nobile centrum  
81       accumulantque dapes varia cum veste ministri  
82       succincti, atque habiles duodeni ex ordine menses.  
83       Vina dedere pirus, malusque, Eoaque palma,  
84       et vina et calices nux Indica. Prodigia vitis  
85       mille meri dederat species, et laetus Iacchus  
86       attollens manibus spumantia pocula sacro  
87       quem vicina deae misit Cannaria succo.  
88       "Euge, solum caeleste," inquit, "Canaria macte !  
89       O infausta cohors, absentia numina, quae nunc  
90       sobria discumbunt caelo nectarque propinant."  
91       Persuasit reliquis non futilis auctor, at unam  
92       hauserunt avide chocolatam Flora Venusque,  
93       haud reor ignarae virtutum nescio quarum.  
94       Indulgent genio superi sapiuntque, bonisque  
95       rebus agunt laetos convivas. Unus eorum  
96       dicitur haec inter clamasse : "O stulta nocensque  
97       progenies hominum, quae sordidasanguine multo  
98       tam faciles natura cibos cum larga ministret,  
99       horrendas epulas mavult, luxumque ferarum,  
100       sacrificatque sibi crudeliter, inque culinas  
101       avertit templis animalia debita nostris."  
102       Hospitis hinc omnes grato celebrare tumultu  
103       munera divitiasque deae, pars aurea mala,  
104       pars ficus, liquidave tumentia Persica carne.  
105       Pars dites oleae succos, pars maxima vitem.  
106       Audiit haec, tantaque inter praeconia laudis  
107       indignans graviterque ferens sua poma sileri  
108       mirandosque homini quos gignit America fructus  
109       (felix terra nimis praedivesque intus et extra),  
110       increpat ore deos sic Omelochilus iniquos,  
111       vespertina suum quem praedicat India Bacchum.  
112       "Ecquis (ait) veteris celeberrima numina mundi  
113       livor habet ? Procul hoc vitium nostratibus absit.  
114       Si nostri meruere orbis felicia poma  
115       (vidi aliquos equidem non segniter ila vorantes)  
116       Europaeorum contingere labra deorum,  
117       et laudem meruere aliquam. Sic reddere grates,  
118       sic suffragari non invida lingua palato  
119       debit, at vestrae venalis gratia famae  
120       primitias tantum, decimas, libamina, honores  
121       ambitiosa suos celebrat, solasque probatis  
122       queis culti per longa fuistis saecula, fruges.  
123       At non, si nostrum fortuna afflixerit orbem  
124       destituit natura parens. Non si horridus armis  
125       Gradivus superavit Ocheum vester inermem,  
126       non si turrigeri Neptuni classibus altis  
127       Tlalloci canoae nostri cessere cavatae,  
128       si cessit Viracocha Jovi, proh viribus impar !  
129       Hispanusque ferox, caesis cultoribus omnem  
130       devastavit agrum, et late sola sola reliquit.  
131       Non, inquam, idcirco sterilescit America tellus

132 luxuriante sinu innumeros effundere fetus,  
133 gaudet inexhausta et victore potentior orbe,  
134 ignotos alibi et noscendos tempore nullo  
135 (namque Europa Asiaque et pauperis Africa venae  
136 tam generosa dabunt numquam, mihi credite, poma)  
137 mille parit fructus. Agite, o fiducia siqua est  
138 (quandoquidem hoc omnes utriusque coegerit orae  
139 arboreas Pomona dapes) locuplete deorum  
140 iudicio videamus uter sit ditior orbis.  
141 Ditior, ah ! pomis dico, nam cetera nostis.  
142 Ah nimium novistis opes, frugesque Potosi."  
143 Assensere alacri populares murmure divi,  
144 neve recusarunt nostri ; gaudere Minerva  
145 confidens oleae, Bacchus ridere sonorum.  
146 Jam nova ab occiduis victoria quaeritur Indis  
147 craterisque ferox acuit sibi cornua denis.  
148 Ergo placet dapibus tandem mensisque remotis  
149 censum agere arboreum. Dea protinus evocat omnes  
150 seque jubet medio visendas sistere pomos,  
151 ordine quamque suo. Primae procedere jussae  
152 quas vetus orbis alit duplici de gente nucumque  
153 malorumque, omnes generosum stemma trahentes,  
154 malorum sed mille domus et nomina mille.  
155 Ipsa nuces inter numerata est aesculus olim,  
156 omnis erat lautis pinguescens glandibus arbor  
157 pars horti, Pomona, tui. Sed fercula tandem  
158 lignea Dodones, alimentaue debita porcis  
159 odit honesta fames. Tandem fastosa decenter  
160 vix dea castaneas dulces corylosque recepit,  
161 magnificosque alto jactantem vertice conos  
162 aeriam pinum, vix has, et paene gravatim,  
163 sed recipit tamen, atque locum meruere receptae.  
164 Prima subit corylus campo, nucibusque jocosum  
165 velitibus certamen init, sedet arbore amata  
166 non umbram captans (dedit umbram cauda) sciurus,  
167 sed ludo indulgens et cassa putamina spargens.  
168 Diva refert : "Senibus non expugnabile pomum  
169 cernitis, abstineas, frater Silene, monebo.  
170 Sed multum innocuis puerorum lusibus aptum  
171 et gratam malis non pubescentibus escam.  
172 At vos, o pueri, jam jam vernante calore  
173 ocus abjicitote nuces : odere puellae ;  
174 respuit, ac spargi jubet oblectamina poscens  
175 seria, et intentus ludis majoribus Hymen."  
176 Bacchus ad hoc : "Pueris o germina digna patronis,  
177 quae vites odio nostras fugiuntque fugantque !  
178 Gingivis o poma tuis dignissima quondam,  
179 simia, ridicule turpes agitantia rugas ! "  
180 Sobria subridens Pallas : "Mirabimur (infert)  
181 has inimicitias, corylos odisse venena  
182 omnia si certum est ? Illarum plus mihi multo  
183 admirandus amor, quo vel tellure sub alta  
184 thesauros male securos scrutantur avarae.  
185 En ut sceptrum tenens coryli divina potentis  
186 progreditur vates, oculisque errantibus auri  
187 rimatur nequicquam obscura cubilia tecti

188 venator. Sed enim praedae nota aura propinquae  
189 afflat, ut extremae suspensa cacumina virgae,  
190 (dulcis odor lucri facit ipso in stipite sensum).  
191 Illa tremens, fortisque sacro magnete metalli  
192 percita, ad amplexus propere se inclinat amatos,  
193 designatque locum, et vatem spe divite complet.  
194 Quid mirum, si tanta premunt miracula mentem  
195 humanam, densaque vagam caligine volvunt ?  
196 Me, me ipsam certe cogunt dubitare, cerebro  
197 prognatum Jovis et nutritum numen Athenis.  
198 Tu causam, tu pande (potes nam solus), Apollo,  
199 nos hominum turba, nobis tu doctior ipsis."  
200 Dixerat, at tanto infelix aenigmate Phoebus  
201 aestuat irretitus, et errat caecus in arto.  
202 Nunc animam mundi, nunc commovet entelecheian,  
203 sympathiamque, atomosque vagas, fermentaque turbat.  
204 Credas nigra suis oracula fundere Delphis.  
205 Ridet anhelantem genitor, sibi Jupiter uni  
206 ista reservari gaudens, hominesque deosque  
207 naturae nodos, et inextricabile textum  
208 materiae, mundique sui secreta latere.  
209 Subsequitur corylos, horti licet incola raro  
210 castanea, et late silvestrem porrigit umbram,  
211 ferre nuces quicumque favent, sed qui minus aequi  
212 glandes ferre volunt. Riserunt vilia divi  
213 tergeminis munita armis cataphractaque poma.  
214 Lintea prima illi lorica, sed apta duellis,  
215 undantem arcana sistens virtute cruorem.  
216 Proxima de ligno solido fabrefacta levique,  
217 tertia non tantum defendere nata, sed hostem  
218 vulnerat, et longe telis exstantibus horret.  
219 Vix, puto, majores movisset et ipse cachinnos  
220 Thersites clypeo Ajacis septemplice tectus.  
221 At sua tutatur formae reverentia pinum,  
222 illa caput celsum nubes rigat inter aquosas.  
223 Sacraque jactatrix incisa in cortice verba  
224 Virgiliana gerit, pulcherrima pinus in horto.  
225 Pan deus agnoscit venientem, ultroque salutatur  
226 pinifero capite innutans, et tempora blandus  
227 cornibus ac foliis vallata inclinatur acutis.  
228 Neptunus fecisset idem si forte fuisset  
229 praesens, nec tantos illi invidisset honores  
230 Isthmiacam ornanti sacris trieterida sertis  
231 victoresque coronanti, plaususque moventi,  
232 quos pater ipse mari gaudens audiret utroque.  
233 Non illam immerito colit, et sibi vindicat unam  
234 Neptunus, plantarum alias non magnus amator.  
235 Illa solo stabili et natali colle relicto  
236 (quo ventosa diu jactato vertice bella  
237 praelusit juvenis) montes habitare marinos  
238 gaudet, et aequoreis occurrere nuda procellis.  
239 O frustra generi plantarum hominumque negatas  
240 disclusasque solo et donatas piscibus undas !  
241 Naturae superant ars atque industria leges,  
242 arboribusque virisque fit altera patria pontus.  
243 At Cybelae ante omnes stat grata in montibus Idae,

244 matri turrigerae turriti verticis arbor.  
245 Nunc formosa arbor, sed formosissimus olim  
246 dilectusque deae puer. Infelicia testae  
247 vulnera nunc damnat sapiens castosque furores,  
248 nunc Venerem nucleis fovet irritatque morantem,  
249 et tibi jucundas taedas, Hymenaeae, ministrat.  
250 Ast Ia, cui taedas de spina praeparat alba  
251 jam pater (alba faces tribuit tum spina jugales),  
252 non jam desponsata viro, proh, regia virgo,  
253 non jam semiviro, longam pro conjuge pinum  
254 optato amplectens, vano intabescit amore.  
255 Rivalem prius at sociam nunc denique luctus,  
256 indurat teneram trunco miserata Cybelle,  
257 et jubet esse nucem : fit amygdalus ; inficit ipsum  
258 perpetuus fructum, remanetque doloris amaror.  
259 At soror (haec miserae comes) evanescere vultus  
260 ut videt humanos, paulatimque ora subire  
261 lignea, crescentem librum retinere laborat,  
262 sed stupet obductam simili se cortice cernens.  
263 Omnia par nisi quod maeror subdulcia poma  
264 lenior effecit, nulloque admixtus amore.  
265 Mitior his multum virtus, operosior illis.  
266 Nec tantum semel haec habitandam se dedit arbor  
267 inque pios ramos truncumque recepit amantes.  
268 Induit hanc etiam, et vita meliore renata est.  
269 Heu nimium pactos menses numerare severa,  
270 impatiensque viri Phyllis Rhodopeia lenti,  
271 fronde nova laceros crines et caudice longo  
272 extentam infirmi leto mutata figuram.  
273 Phyllis abit pudibunda, Ceres perlustrat euntem  
274 sollicite, fetuque videns gemmascere multo  
275 spem dea venturi locupletem praecipit anni.  
276 Succedunt solidis pistacia densa racemis,  
277 laudatamque ferunt victis serpentibus escam.  
278 Sed venit, ecce, ingens multumque potentior arbos,  
279 quam dixere nucem mortales, numina glandem.  
280 At glandem Jovis, hic nullum non nomen honestat  
281 additus, ambrosiamque hominum si forte vocassent  
282 laudassent minus. Haud equidem reor absque deorum  
283 consilio haec capitis nux est sortita figuram,  
284 nec caryan Graeci frustra dixere disertis.  
285 Illam callosas imitantem anfractibus undas  
286 innumeris, gyrosque voluminaque alba cerebri,  
287 investit tunica meninx bombycina molli,  
288 atque abducta super bifida consulta carina  
289 lignea defendit solido calvaria claustro.  
290 Nec satis hoc, viridis tegitur post omnia pulchro  
291 orbe pericranii, decus est tutamine in ipso.  
292 Neve parum liquide cognatio sacra probetur  
293 cum capite humano, minimamve calumnia rimam  
294 inveniatur, crines parit atque alit illa, memorque  
295 vel sua quam turpis fuerit sine frondibus arbor,  
296 non sinit esse homines inhonesto vertice calvos.  
297 Quam variae juglandis opes ! Dat nobile fabrum  
298 usibus atque annis non expugnabile lignum.  
299 Illustrat pictoris opus, caementaque firmat.



300 Dat mensam, et mensae bellaria grata secundae,  
301 dat cenis oleum, cenanti lampada fulvam,  
302 praecipue medicum formidatumque venenis  
303 virus habet cunctis. Non prodigiosa caninae  
304 vincit eam spumae rabies, non aeris aegri  
305 circumfusa lues, caelumque furentiaque astra.  
306 Novit, dilectumque habuit, multumque comedit  
307 ille veneniferae Mithridates maximus orae,  
308 ille venenorum rector fortissimus olim.  
309 Heu nimium ingratos homines, sortemque malignam  
310 infestamque bonis ! Virtuti heu invida fata  
311 arboreae ! His meritis non tantum pellitur horto  
312 nux Jovis ipsius, sed toto excluditur agro.  
313 Vix illam extremo desertus margine fundus,  
314 aut lapidosa solo recipit via publica macro.  
315 Omnibus expositam damnis saevisque rapinis,  
316 hic miseram bello vexant mutilantque procaci  
317 immites pueri et vicinia rustica, et omnis  
318 turba viatorum, nec cessat saxeus imber,  
319 nec male fecundos contundere pertica ramos.  
320 Et jam tota nucum processerat agmine firmo  
321 turba, genus durum, genus insuperabile bello  
322 dentibus informis, superum sed in ore libenter  
323 (nec mora) contactae summis patuere labellis.  
324 Has inter, pictasque cutim, succosque tumentes,  
325 mollesque imbelli malorum corpore gentes,  
326 poma loco subeunt corio defensa rigenti,  
327 et cognata nucum populo dux Punica malus.  
328 Non alio Pomona magis vel Flora superbit  
329 germine, nec dubitat cytini rosa verna colori  
330 cedere, nec vernans aurora, nec igne pyropus  
331 purpureo fulgens, nec coccina gloria regum,  
332 nec pudor in pulchro dilectae virginis ore.  
333 Junoni magnae fructus sacer, aurea templi  
334 stat medio Heraei, Polycleti nobile numen.  
335 Hac sceptrum, formosa sua Carthaginis illa  
336 poma tenens dextra (dextra est manus utraque divis).  
337 Non equidem indignum pomi tam fertilis orbem  
338 innumeris uterisque cavum, innumerisque tumentem  
339 seminibus Lucina fovet. Verum infera Juno  
340 libatum reditus memor abscidisse supernos  
341 odit, et intranti torvos lacrimisque madentes  
342 heu nondum placata Ceres avertit ocellos.  
343 Omnia nimirum constringit Punica, sistit  
344 omnia, et Elysiis, ubi non datur exitus, arvis.  
345 Aptior haud ulla est arbor : manet ipsa retenta  
346 et religata tribus sumptis Proserpina granis.  
347 At subito lux flava oculos perstringere divum  
348 mirantum, et blandi discurrere fulguris aura.  
349 Ditavere locum ingressae splendentibus umbris.  
350 Hesperidum citrus, malusque Nerantia quondam  
351 gloria, perpetuis vestitae frondibus ambae,  
352 perpetuo flore ornatae, fetuque tumentes  
353 perpetuo, germanae ambae, sed palluit illa,  
354 haec auro rubuit saturo. Nec caelifer Atlas  
355 dedignatus erat, qui sidera vertice gestat,

356 has stellas plantasse, pedum ornamenta suorum,  
357 exiguas, magnaëque imitamina parva coronae.  
358 Dicitur has muris clausisse et montibus altis,  
359 multa cavens, nec contentus custode Priapo  
360 arboreoque deo, vigilem apposuisse draconem.  
361 Perspicite haec aliis quantum pomaria praestent,  
362 mendicos metuere vagos puerosque procaces  
363 illa, sed Alciden magnum fecisse latronem  
364 haec meruere. Venit Jove natus ab orbe remoto  
365 bellator, tantaeque viae tantique pericli  
366 poma relaturus mercedem citria dignam.  
367 Nec tamen hic verum praedae cognoverat usum  
368 infelix pretiumque suae, Martisque peritus  
369 nescierat vires plantarum et Apollinis artes.  
370 Si pomi aurati, monstrosa venena domantis,  
371 virtutem Herculeam nosset, succosque potentes,  
372 non illum irato Centauri sanguine mixtum,  
373 multiplicis virus totum exstinxisset Echidnae,  
374 nec trepidam implesset furiosis vocibus Oetam,  
375 se tandem toties victa, nec jam amplius ullo  
376 ore renascenti, victum indignatus ab Hydra.  
377 Inde tribus numerosa 'monostea' nomine dicta  
378 intrat, et has ducit cerasus, quae sedula grates  
379 et festina referre, salutat prima colonum,  
380 fructiferumque aperit baccis rutilantibus annum.  
381 Maius egens dapibus, sed lauto dives amictu,  
382 miratur, floremque putat tam praecoque pomum.  
383 Non ea fecundos maturo sole calores  
384 aestatisque dies opperta moratur adultos.  
385 Frigus amat modicum, cultuque tenellula nullo  
386 arva ambusta pati, aut tellurem cogitur assam.  
387 Invitat frustra Aegyptus, Nilusque benignus,  
388 Nilus abundanti saturat qui flumine plantas,  
389 nec madidam tanti mensum putat esse duorum  
390 luxuriam, ut sitiatur reliquo et misera aestuet anno.  
391 Italiam vix laeta videt Romamque beatam,  
392 sed sibi adhuc peregrina et adhuc captiva videtur.  
393 Scilicet hanc bello captam, Cerasunte subacta  
394 (hoc habuit clarum carissima patria nomen)  
395 cum reliquis Ponti gazis et divite praeda  
396 transtulit Italicos victor Lucullus in agros,  
397 et pars ipsa fuit non contemnenda triumpho.  
398 Dicite 'io Paeon' ventoso murmure laetae  
399 Italides pomi, ter 'io', ter dicite 'Paeon'.  
400 Ipsa triumphantis laurus gestire videtur  
401 captivam cerasum ducens, lauroque superbae  
402 plaudere Romani respublica nobilis horti.  
403 Nec tu capta dole, sed ovans comitare triumphum,  
404 tu modo, tu Latiae civis (quid inepta recusas ?)  
405 Urbis eris, dominasque inter numerabere pomos.  
406 Ejusdem venere tribus gens maxima pruni,  
407 in multas ramosa domus, varioque colore  
408 distinctas, quarum princeps ab origine mundi  
409 dicitur ipsius diti regnasse Damasco.  
410 Illa quidem Hesperidum sero migravit in orbem  
411 post domitas orientis opes hortosque beatos,

412 jam facilis victu, jam nullo non Jove laeta,  
413 audet Hyperboreis radicem figere campis :  
414 omne solum plantae nimirum est patria forti.  
415 His affine genus, malum cognomine praecox  
416 Armeniumque aderat, sed stirpis major in istis  
417 nobilitas apparet, odos generosior exit.  
418 Ambrosiusque sapor perfundens ora liquescit,  
419 et rubet aspero leviter color aureus ostro.  
420 Sed paene Assyrias spernit, nec Persica malis  
421 invidet Armeniis. Lanugo serica fructum  
422 molliter investit, caro turgida nectare multo  
423 estur potaturque simul. Properate, fugaci  
424 maturaque dapi quid parcitis ? Illa reponi  
425 se vetat, haud umquam convivium crastina amarunt  
426 vel florum rosa, vel pomorum Persica princeps.  
427 Sunt etiam quibus ipsa suum pulcherrima nomen  
428 dat rosa, conceditque volens rhodocina vocari,  
429 non alienus odor, roseique in corpore tractus.  
430 Illis summus honos, solidam mandentibus escam  
431 dura ferunt, solidisque fideliter ossibus haerent.  
432 Hac ori tenus indulget stomachoque calenti  
433 Persica, deliciis contenta impendere fructum,  
434 ossa sed, et crines, flores, lacrimasque vel ipsas,  
435 tristitiam luctumque suum pia dedicat omnem  
436 utilitati hominum summae, morbisque fugandis,  
437 pauca voluptati tribuens, sed multa saluti.  
438 Non ita quae sequitur cornus, male consulit illa  
439 humano infelix generi, Martisque satelles  
440 impia, crudeli dat dura hastilia ligno,  
441 jure colens silvas, indignaque mitibus hortis,  
442 et lapidosa ferens poma austerumque saporem.  
443 It comes huic silvae vetus incola ziziphus Afrae,  
444 mitior at baccis, multa licet aspera spina  
445 pacis amans gaudet florem praebere corollis,  
446 materiem citharis praebere epularibus aptam.  
447 Misit et huc (patriam posses agnoscere fuscam)  
448 corpore nigrantem sitientemque Africa loton,  
449 ecce omnis superum (quis honor mirabilis iste  
450 arboris ?) assurgit chorus, intrantemque salutat.  
451 Solus at immoto dejecit lumina vultu  
452 conscius, et quamvis perfricta fronte, Priapus,  
453 quamvis ante fuit ruber ore, rubescere visus.  
454 Agnovere dei nimirum et in arbore loto  
455 (omnia dii norunt, namque haec immane figura  
456 distant), agnovere in loto Lotida nympham.  
457 Nil hominum generi suspectum tale fuisset,  
458 agnovere tamen. Fugiens haec scilicet olim  
459 Hellespontiaci vim numinis, inscia tantae  
460 nequitiae, et magno nebulonis territo telo,  
461 dicitur hoc tandem vultus clausisse pudicos  
462 cortice, nec rigidi cuneum admisisse Priapi.  
463 Non jam nympa manet, mutata nec tamen illa  
464 condicione dolet. Nymphis longaeior arbor  
465 nunc vivit, puerumque vocantes Nestora quercus,  
466 ipsa vocat pusas. Eadem sub rege Quirino  
467 fundamenta urbis, tandemque incendia Romae

468 se jactat vidisse Nerone sub Antiquirino.  
469 Non erat illa quidem tanto longum igne superstes,  
470 sed simul et flammis et magno saucia luctu  
471 ante diem infelix, nec fato occumbere questa est.  
472 Nongentos (eheu !) nondum compleverat annos !  
473 Nunc quoque defunctae corpus superesse putandum est.  
474 Hinc nullo tacitura aevo sibi musica fingit  
475 organa tibicen, multoque sonantior ore  
476 more poetarum auditur post funera lotos.  
477 Vel post mille annos florescit laude recenti  
478 jugiter, et vivit magis, aeternumque virescit.  
479 Tali (nam magica est certe dulcedo sonorum),  
480 tali dum fuit in vivis dulcedine fructus  
481 delenisse homines fertur, Sirenibus olim  
482 dulciloquis lotos, Circeque potentior ipsa.  
483 Ecce triumphalis venit arbor, nympha, recede.  
484 Inclyta palma venit, contempto pondere victrix  
485 emicat, exemplum virtuti ac praemia donans.  
486 Illa quidem Solymis olim laetissima in agris  
487 vixit, Nunniadae magni, magnique triumphos  
488 Jessiadae comitata sacros. Nunc (si bene novi  
489 arboris ingentes animos fastumque decorum)  
490 damnati servire soli dolet incola dici.  
491 Herculeam dat Pisa oleam, dant laurea Delphi,  
492 atque apium Nemea, atque Isthmos Neptunia pinum,  
493 sed simul et palmam tribuunt victoribus omnes,  
494 omnis in hunc palmae consentit mundus honorem,  
495 et merito. Neque enim est verae virtutis imago  
496 verior in terris : sic inviolata decorem  
497 armati semper folii semperque virentis  
498 servat, non aestum metuens, non frigora virtus.  
499 Sic oneri fatoque renititur illa prementi,  
500 fortior assurgens, sic et procera relinquit  
501 terras, et caelo pulchrum caput inserit alto.  
502 Sic generi humano varios se expendit in usus  
503 multiplexque bonum est, generoso pectora vino  
504 laetificat, panem et bellaria blanda ministrat,  
505 et prodesse potens et delectare perita.  
506 Sic amat et virtus, vere atque decenter amare,  
507 non minimum est virtutis opus, palmamque meretur.  
508 Non magis arsura Evadne Capanea crematum,  
509 nec magis Admetum dilexit prodiga casti  
510 sanguinis Alceste, quam femina palma maritum  
511 deperit. Inclinat blandos ad basia ramos,  
512 secretosque petit (mos ille vetustus amantum)  
513 complexus, mixtisque avidae radicibus haeret.  
514 Cedunt arma togae, victrix concedat olivae  
515 palma piae. Bello pacem praestare fatetur  
516 paciferam gestans oleam dea bellica Pallas.  
517 Hac dea magnificum memoratur adepta triumphum  
518 et numen nomenque suum doctissima doctae  
519 imposuisse urbi, superum quae gloria summa est.  
520 Nam toto laxe regnantes aethere (tanta  
521 ambitio est) hominum regno de paupere certant,  
522 hic sonitum agnoscens, magni signumque tridentis  
523 bellator se fundit equus de carcere terrae,

524 ille novas efflare levatis naribus auras,  
525 et quassare jubis undantia colla decoris,  
526 hinnitusque sui sonitum exaudire superbit,  
527 insultatque pedes glomerans natalibus arvis,  
528 ignotas rerum facies mirasque figuras  
529 et circumstantum intrepidus videt ora deorum.  
530 At juxta leviter tellus, percussa potenti  
531 cuspide Palladia, rimas agit, emicat alte  
532 attolitque caput glaucum veneranda comarum  
533 canitie et pomis ditescens pinguibus arbor.  
534 Admirata novam plauserunt numina plantam  
535 et benedixerunt, ac tanti muneris auctor  
536 praefertur, Neptune, tibi. Fremuere sonorum  
537 victus equus victusque deus, sed vimque minasque  
538 et strepitum ingenii vicit dea, pacis et arbor.  
539 Salve, sancta arbor, cujus lex suscipit ipsa  
540 tamquam hominis curam, et noxa defendit ab omni,  
541 cui furor ipsius (tanta est reverentia) belli  
542 parcat, et eversis permittit crescere templis.  
543 Non te impune ausus saeva violare securi  
544 impius irata nimium pietate repulsae  
545 ultor Halirrhotius patriae, Neptunia proles.  
546 Ille sui infelix cecidit vertigine teli,  
547 arbore segura, relevato quam petit ictu.  
548 Spectavere dei casum, erroremque cruentum  
549 sacrilegae risere manus, jacet hostis olivae.  
550 Sic pereant, opto, qui pacis amabile germen  
551 contemerare volunt, sed et haec tam sacra quieti  
552 planta, jubet bello semper nos esse paratos,  
553 et sperare vices rerum motusque futuros.  
554 Enses illa quidem gaudet spectare repostos,  
555 sed positos sapiens rubigine vindicat enses.  
556 Illa etiam nudas juvenum celebrare palaestras,  
557 lene rudimentum pugnae. Perfundit opimo  
558 corpora luctantum succo, foliisque coronat  
559 tempora vincentum. Nec pacem diligit illa  
560 mollitiae morum luxuve inducta metuve,  
561 ex utero terrae non exit fortior infans.  
562 Nil cultoris eget, nec fimum alimenta que poscit,  
563 sed gratis fecunda solo pinguescere macro  
564 dignatur, caelos habeat solesque benignos,  
565 et crescet quocumque loco. Truncum insere terrae  
566 (nec labor) abscissum, radices protinus ille  
567 non ignavus agit, seque arbor ipsa creabit.  
568 Illa quidem lente et pedetentim surgit in auras,  
569 sed valida et multum fecunda aetate virili,  
570 sed semper viride et longum durante senecta,  
571 crescentis tarde compensat damna juventae.  
572 Ah bene constituit naturae provida cura,  
573 utilis ut mundo foret et vitalis olivi  
574 proventus facilis vulgoque parabilis usus.  
575 Ille liquor felix assumptus et intus et extra,  
576 dat formam et robur membris habilemque vigorem.  
577 Levigat ille vias, rivo polit aspera pingui,  
578 vulnera pacifico componit hiantia succo.  
579 Ille dapem agrestum miseratus condit egenam,

580 et praestare epulis regum facit additus herbam.  
581 Sistit pictorum fugitivos ille colores,  
582 et brevibus tabulis statuarum tempora donat.  
583 Ille suae studiis accommodat apta Minervae  
584 lumina nocturnis, et vitam ac saecula sperent,  
585 non nisi Palladium redolentes lampada chartae.  
586 O utinam nostrae !  
587 Jure igitur cunctos meritoque supernatat ille,  
588 conjugia (ut par est) ignobilia recusans,  
589 perfectus, plenusque sui, castissimus humor.  
590 Jure sacerdotes casto, regesque potenti,  
591 et docto vates sacrans perfudit olivo  
592 optima sacrorum quondam Judaea magistra.  
593 Talis erat, tales quassavit vertice fructus  
594 discedens olea, ac ramum decerpsit eunti  
595 laeta triumphalem, et cinxit sua tempora Pallas.  
596 Successere aliae gentes. Polyostea primum,  
597 Mespilus, et fructum putrem ambitiosa coronat.  
598 Pulchra venit divae myrtus gratissima pulchrae,  
599 adventantem imber dulcis praenuntiat aerae,  
600 et blando superum nares titillat odore.  
601 Ornet sanguineos laurus Phoebaea triumphos,  
602 myrtus amat faciles paucique cruoris honores,  
603 contenta est molles comitari myrtus ovantes.  
604 Quisquis amat, Paphia cingat sua tempora myrto,  
605 cingat, io, fidenter, ovantisque occupet omen.  
606 Gentis hyperphloae post hanc malusque pirusque  
607 illustres venere domus numeroque potentes.  
608 Non illas aspernatur vel citria regum  
609 mensa superborum, non aspernantur et illae  
610 vel tripedes inopum mensas et terrea vasa.  
611 Subsidium vitae, luxusque paratus egenae,  
612 et non ullius desertrix copia mensis.  
613 Hinc sibi vina parant gentes quas igne remotus  
614 languidiore fovet non vitibus aequus Apollo.  
615 Principis illa quidem munusque vicemque liquoris  
616 non indigna ferunt. Sic curas illa metusque  
617 pauperiemque domant, sic laetitiisque jocisque  
618 speque nova, et liquido perfundunt lumine venas,  
619 et pulchrum accendunt Veneris Martisque furorem.  
620 Hoc contenta mero laetum Normannia degit,  
621 vicinasque tuens Gallorum haud invidet uvas.  
622 Agmine discedunt longo malique pirique  
623 omnigenae, silvam credas migrare vetustam,  
624 tantus erat populus. Pomona abeuntibus illis  
625 annuit arridens, sed linguam sannio Bacchus  
626 exerit, auriculas digitis imitatus aselli.  
627 Se negat his comitem miscere Cydonia malus,  
628 sola venit. Magnos populari indulsit honores  
629 Jupiter ipse suae. Grato perfudit odore,  
630 depinxitque auro et molli lanugine textit.  
631 Haec bene cocta Jovi dantes conditaque melle  
632 vagitum infantis pacantia poma protervi,  
633 Cretenses memorant nymphas melimela vocasse.  
634 Nunc etiam melimelorum (si credere fas est)  
635 non pudet ambrosia saturum meminisse Tonantem.

636 Enumerare omnes longum est. Tota agmina claudunt  
637 multa Gigartophorae celeberrima nomina gentis  
638 nobilitate potentis, et horto ditis et agro.  
639 Berberin et crispam spinis horrentibus uvam,  
640 et ribem exiguis vitem simulare racemis.  
641 Gaudentem, Idaeasque rubos, hibernaque fraga,  
642 plebeiasque domus alias mihi omittere fas sit.  
643 Non ita fas morum et ficum, divinaque vitis  
644 germina, militiae veteris fortissima poma,  
645 et nunc spes tanti certaminis ultima restant.  
646 Se caute sapiens infert ac provida morus,  
647 explorat caelos, et vertice suspicit alto  
648 quod teneat signum Phoebus caeleste, fideque  
649 praeteriitne bona nec possit bruma reverti,  
650 non fructum aut frondes dubio expositura calori.  
651 Ergo diu succum tenet in statione paratum  
652 atque exire vetat, nisi tessera detur adulti  
653 moribus incertis anni non credula verni.  
654 Sed reparat tandem geminata industria tardae  
655 damna morae, signoque dato ruit omnibus acer  
656 nodorum portis, frangitque repagula succus.  
657 Dat strepitum erumpens, magno turbante tumultu.  
658 Gemmarum studio properantum densa caterva.  
659 Nec duo praetereunt menses, et purpura morum  
660 nobilis infecit dibaphum, non sanguine vili  
661 purpura concharum, sed amantum tincta duorum,  
662 est pretium et foliis tamen ipsis majus, et usus  
663 nobilior fructu. Bene contemplare colorem,  
664 materiam et formam folii, vulgaria dices  
665 omnia, sed nec tu formae nec crede colori.  
666 Ornamenta vides regalis maxima luxus,  
667 vestimenta vides turbae mollissima mollis,  
668 his foliis induta ferocit femina dives.  
669 Nativoque minus fident vel pulchra decori,  
670 has robusta terunt umbellas membra virorum,  
671 lascivitque hominum ridenda superbia gestans  
672 vermiculo (miserum !) contextas paupere frondes.  
673 Talis erat morus. Sed quis miracula fici  
674 dicere, vel genera ipsius vel nomina possit,  
675 innumerasque potestates variosque triumphos ?  
676 Salve, magna Ceres, tantae sacra arboris auctor !  
677 Tu frugum legumque datrix, te vindice, vita  
678 exiit et victum et mores humana ferinos.  
679 Et pacem panemque habuit. Quid quaerimus ultra ?  
680 Hoc satiare famem didicit natura modestam.  
681 Plus tamen indulges, et gratificata palato,  
682 mellea lactantis tribuisti fercula pomi.  
683 Pauperibus faciles epulas, nec suavius illis  
684 mensa tamen quicquam damnosa voravit Apici.  
685 Hac Phytalum donasse Ceres primum arbore fertur  
686 hospita grata pium, et frumentis poma scatere  
687 innumeris jussit, testata in munere numen.  
688 Nec tamen huic plantae frugalis diva decorem  
689 ullius adjunxit floris risumve severa  
690 permisit vernum. "Lasciva haec gaudia," dixit,  
691 "gloriolaeque habeant vexilla fugacia vanae.

692 Germina pulvillis horti recubantia pictis,  
693 quae se prostituunt oculis meretricia cunctis,  
694 nec metuere manus hominum naresque salaces.  
695 Nil opus his nugis. Fructu satis arbor honesta est  
696 ista suo, cultuque viget matrona modesto."  
697 Fertilitatem amat, et solido de stipite pomum  
698 trudit agens studio sobolis festina creandae  
699 grossorum miseros, heu passa frequenter abortus.  
700 Lacte tumet, munus gestit nutricis obire.  
701 Quis tibi, fice, neget gratae praeconia vocis,  
702 quam labefactatam recreas, totumque recludis  
703 praetereuntis iter ? Scabrosa atque aspera laevas,  
704 obstructasque vias aperis spirabilis aerae,  
705 pulmonumque replens ventis vitalibus utres,  
706 nec vocem emendas frustra, reserata sed auris  
707 per te porta patet, venientemque accipit intro.  
708 Ulcera tu purgas sentina sordida putri,  
709 emollisque feros, fomentum mite, tumores.  
710 Gangraenam et lepram, serpentum maxima monstra,  
711 et lichena domas, et luctificum cacoethes,  
712 panosque, strumasque, gravesque parotidas, et quae  
713 deformant nitidum myrmecia corporis aequor.  
714 Te podagrae fugiunt, tibi aquosus detumet hydrops.  
715 Singula quid referam ? Tu cunctis magna venenis  
716 bellatrix (comites rutam modo nacta nucemque)  
717 non metuis terrae concurrere cominus Afrae,  
718 non metuis toto grassantes aere morbos  
719 sistere, et astrorum caecis te opponere telis.  
720 Unde ea vis animae viridis ? Quae tanta potestas ?  
721 Non ipsum metuit ficus secunda tonantem.  
722 Fulguris illa vias horrenda luce coruscas,  
723 ejectasque Jovi sacras in turbine silvas,  
724 succussos montes, nutantia templa deorum  
725 aspicit, attonitique sonora pericula mundi,  
726 intrepida et nulla motis formidine ramis.  
727 Euhoe Bacche ! Venit tandem dulcissima vitis.  
728 Euhoe Bacche, venit ! venit ebria, euhoe Bacche !  
729 Stare nequit, sustentat eam robustior, ecce,  
730 labentemque tenet conjux. Euge ebria vitis !  
731 Ut te amo complectorque libens, carissima planta !  
732 Da mihi te plenam succi, uberibusque tumentem  
733 nectareis, da te facilem. Non oscula tantum  
734 sumere, nec suprema sat est mihi tingere labra.  
735 Interius, totoque frui te corpore fas sit,  
736 et penetrem felix fundum urinator ad imum,  
737 et me mellifluo madida obruat amne voluptas.  
738 Quis deus, o, quis me pronepotem nobilis Orphei  
739 (degenerem quamvis inopemque, heu, laudis avitae  
740 sed redimitum hedera tamen, et non vana furentem)  
741 collibus Ismariis sistat ? Quis per juga raptet  
742 me Campana vagum, felix ubi vinea fulget  
743 sole supra, flammisque infra bis cocta Vesevi,  
744 aut ubi caelesti Canaria celsa superbit,  
745 aut ubi Belnensi Burgundia purpurat uva ?  
746 His decet, o, temere vatem recubare sub umbris,  
747 his saltare jugis atque insanire decorum,



748 turgentem venasque deo, mentemque animumque  
749 qui celebret digne vitem, numenque quod ore  
750 ebibit attonitus, divina voce refundat.  
751 O arbor merito dulci de nomine vitae  
752 nomen habens ! O qui te ornat, pulcherrima, fructus ?  
753 Multus amor, multum ingenium, facundia multa,  
754 multa etiam virtus animi, et Mavortius ardor,  
755 laetitiaeque jocique, et spes et gaudia mille,  
756 his, arbor fecunda, tumes, cunctosque beatæ  
757 purpureos vitae portas albosque racemos.  
758 Omnia fortunæ scelerata venena malignæ  
759 (non tot alit, tellus infamis, toxica Pontus,  
760 serpentum tanta non sibilat Africa turba)  
761 diffugiunt perstricta tui caelestibus armis  
762 antidoti. Redeunt, fateor, vicibusque recursant,  
763 te tamen absenti et tempus captantia siccum.  
764 Te relevante hominem non sentit tristia ferri  
765 pondera captivus, non paupertatis egenus.  
766 Te comitante exsul nemo est, te nemo repulsam  
767 suffragante tulit. Populo nolente creatur  
768 consul, habetque suos quales Caninius olim  
769 horarum fastos. Tu principis instar amati,  
770 delicias olim mundi quem Roma vocavit,  
771 nullum hominem jucunda soles dimittere tristem.  
772 Quid præstare potest majus sapientia summa,  
773 discipulosque suos cum divis porticus æquans,  
774 quam tenebras, nimbos, et nubila pellere mentis,  
775 atque aperire diem vultuque animoque serenum ?  
776 Ebrius et sapiens rex est, atque omnia solus.  
777 O magnus Cato qui regnum possedit utrumque !  
778 Si brevia hæc quisquam et fallacia gaudia dicet,  
779 confiteor. Sed et o hominum quæ talia non sunt  
780 gaudia ? Quid brevius vita aut fallacius ipsa ?  
781 Utere dum licet, o, vini que liquore beato  
782 vita levis subvecta secundo defluat amne.  
783 Vitis abit. Veteris plauserunt numina mundi  
784 omnia, purpureosque manu carpsere racemos.  
785 E quibus insignem ludi non parcus Iacchus  
786 compactum innumeris acinorum ex utribus unum,  
787 porrigit, Omelochile, tibi. "Quin ebibe, sodes,  
788 si sapis hunc succum (dixit) non aptior alter  
789 cannibalum stomachos crudeos tergere deorum."  
790 Ille parum Graeco Bacchi assuefactus aceto  
791 absurdum fremit iratus, pugnoque dedisset  
792 Barbarus intento responsum, credo, jocanti,  
793 ni vires nimium notas animosque timeret  
794 numinis Europæi. Ergo in discrimina pomos  
795 saeva minus prodire suas jubet. Ordine pulchro  
796 stant omnes, varios jactantes vertice fructus,  
797 atque ineunt pictis certamen Amazones armis.  
798 Sed prima in campo pomis inhonora sine ullis  
799 coca stetit, tenui nitens arbuscula ligno,  
800 subridensque Venus : "Ne gentis America pubes  
801 horticolaë, ad bellum de fertilitatis honore  
802 elegere parum feliciter (inquit) euntes  
803 eunuchum nanumque ducem." Effudere cachinnos

804 nostrates superi, at mater Pachamama procacem  
805 increpuit divam, et cocam defendit amatam :  
806 "O quantum, Cytherea, erras ! Tibi nempe salaci  
807 fertilitas obscaena animantum cognita sola est.  
808 Hic mala tu iudex, mea regna carentia sexu  
809 sunt peregrina tibi. Cunctarum quotquot ubique  
810 terra parit fecunda, haec fecundissima vivit  
811 semper, et innumeris turgescit fructibus arbor.  
812 Quid ridetis adhuc ? Quam sit frondosa videte :  
813 quot frondes tot poma gerit, nec frondibus istis  
814 utilitate ulli dubitabunt cedere fructus."  
815 Illae Pacchamaci Virocochae munere miro  
816 (quem juga commovit subitura immitia quondam,  
817 et nimiis opibus pauperrima terra futura) :  
818 "Ore parum mansae, succoque in pectore misso  
819 continuo, longaeque famis longique laboris  
820 languores abigunt aegros, membrisque vigorem  
821 restituunt, animumque levant sub fasce labantem  
822 corporis infirmi, quo vos, o Bacche Ceresque,  
823 numina bina, modo. Tres ista viatica portans,  
824 bis ternos aliquando dies durabit abunde  
825 pastus, et horribiles curret Quitoita per Andes,  
826 horribiles Andes, positam inter nubila summa  
827 ventorum patriam, pluviaeque hiemisque tuamque  
828 fortis coca, simul, quam bellica diva pusillam  
829 deridet Cytherea ducem. Nec te, inclyta coca,  
830 sustentas ipsam minus admirando profecto  
831 quam servas homines. Hic te mercator adire,  
832 hinc petere haud metuit. Vel centum mille quotannis  
833 vicugnos foliis onerat, pacosque gementes,  
834 non ingrata ferens misero commercia mundo."  
835 Sic ait, innumeris mater Pachamama figuris  
836 picta cutim, nutuque hoviam procedere jussit,  
837 portantem lapidosa hoviam contemptaque pruna,  
838 sed parili, quamvis aliter, virtute potentem.  
839 Conciliare leves arcanis viribus umbrae  
840 et dulces condire nova dulcedine somnos  
841 creditur. Ut tantum hac dormire sub arbore possit,  
842 ire viam gaudet longam miser incola terrae  
843 divitis, incumbitque operi, et se sponte fatigat,  
844 ut tanta recreetur ope, placidamque capescat  
845 hic recubans, quamquam Hispano dominante quietem.  
846 At platano Eoae falso cognominis arbor  
847 (Brasiliae "bacova" est) foliorum ingentia vela  
848 expandit, quorum unius dormire sub umbra  
849 et cantare potest pastor securus ab aestu.  
850 Sub foliisque jacent viridantibus aurea mala  
851 conglomerata uno bis centum saepe racemo,  
852 carpuntur toto, toto nascuntur in anno.  
853 Omnia damna latent, semperque prioribus haeres,  
854 flavorum capitum formosa repullulat Hydra.  
855 Nec legere illa manu vacat, avelluntur ab ipsis  
856 pondere lucenti nutantia brachia truncis.  
857 Namque uno avulso termes mox aureus alter  
858 prosilit, atque opibus rediveris parcere vanum est.  
859 Tum vero in medium, sed nescio quomodo, ficus

860 Indica prorepsit. Nostri novitate figurae  
861 obstupere dei, clamavit et unus eorum  
862 (heu nimium incautus, nam falli numina turpe est) :  
863 "Hoc opus est artis. Tentamur fraude planorum,"  
864 admovitque manum plantae, risere vicissim  
865 barbara turba deum, nec compressere cachinnos.  
866 Admiranda stetit membrorum et corporis expers,  
867 e foliis tantum compacta et fructibus arbor,  
868 et foliis foliorum, et quae nascuntur ab illis.  
869 Prodigium ! et viridis species monstrosa cometae !  
870 Congenerem tunam misit Tlascalla superba,  
871 talia cui frondis superat miracula fructus.  
872 Poma illa Viracocha dedit viventia soli,  
873 coccineo regum pretiosa animalcula luxu.  
874 Ipse etiam Hispanae dominator maximus orae  
875 captivae spoliis cochenillae gaudet opimis  
876 indutus, victi dominator maximus orbis,  
877 atque utinam hoc solo devicti sanguine tinctus !  
878 Ignotum Europae pomum, notissima poma  
879 ostentavit, ovans tanta Guattimala cive.  
880 Nam quis amygdalinas cacaos, quis pocula panis  
881 sobria, quis potum chocolatae nescit edulem ?  
882 Dat vegetum membris habitum, floremque venustae  
883 purpureum majestatis, dat dulcia cordi  
884 lumina laetitiae, nec forte potentior alter  
885 lene ciere viros, Veneremque accendere succus.  
886 Non tantum praestare homini, si tota daretur,  
887 vasta potest arbor, seu silva argentea, quae se  
888 sub magno expandit multum ramosa potoso.  
889 Nec tantum rutilat fulvis ubi Cartama saxis,  
890 marmoreis late fruticans in rupibus aurum.  
891 Non igitur sapiens tam divitis incola mundi  
892 ex auro quondam argentove numismata cudit,  
893 nec tribuit vitae commercia tota metallo  
894 quod vitae tam saepe nocens, et inutile semper.  
895 Haec bona nux nummus populis erat unicus illis.  
896 Census erat magnus, non tum sestertia mille,  
897 sed numerare domi cacaorum millia posse.  
898 Una arbor parvi vectigal nobile fundi  
899 et pascit dominos, et vestit, et ornat, et armat.  
900 Hoc emitur penus omnis, et omne utensile nummo,  
901 et si magna cibum penuria denegat omnem,  
902 hic cibus, hic ipse est. O vera pecunia ! at inter  
903 divitias mundi (pudet, ah !) nostratis ineptas  
904 possumus et dites simul esse, fameque perire.  
905 Quam tu fausta, tuae si tantum Hispanus avarus  
906 gentis opes et non telluris, America, nosset !  
907 Nec minus et Veneri (Venerem te Mexica saevam  
908 Tlazoterella colit) bene olenti fronde decora  
909 Aguacata favet, fructusque effictus in ovum  
910 candenti dulcis succi pinguedine turgens  
911 imperfecta refert udae primordia vitae.  
912 Omnia si dominus cacais edit, omnia paene  
913 possidet in metla, nec se facit illa monetam,  
914 nec mercaturum exercet. Merx omnia in ipsa est,  
915 nec pueris fert illa nuces, nec dulcia poma

916 femineo parit oblectamina vana palato.  
917 Tota arbor suus est fructus. Folium omne tenellum  
918 manditur, et victum in promptu dat suave salubrem,  
919 quod simul ac vires aetate acquirit adulta  
920 texitur in vestes. Neve instrumenta deessent  
921 artificii, summo stat spina cacumine frondis  
922 et fit acus sartori, acus et sua fila cohaerent.  
923 Uritur immodico vicini lumine solis  
924 terra siti damnata, hic vivus cortice scisso  
925 fons liquidae prorumpit aquae, quae leniter artis  
926 percolata viis, longo Maeandria flexu  
927 fibrarum, nulloque tamen vitiata colore,  
928 jucundum virgo trahit intemerata saporem.  
929 Hoc satis est hominum naturae, sed tibi non est  
930 prodiga metla satis. Quaeruntur dulcia ? mellis  
931 instar habes. Acris delectat gustus ? acetum est.  
932 Parva loquor, vinum est, generoso pectora succo  
933 laetificas, quacumque ruis, curamque metumque  
934 pauperiemque gravem pellens, velut aurifer amnis  
935 influis in venas. Per te miserabilis Indus  
936 dives adhuc, liberque sibi, dominusque videtur,  
937 et rege Hispano est aliquando beatior ipso.  
938 Si dubitat quisquam, nec possit credere vinum  
939 quam modo vidit aquam, pleno se proluat haustu  
940 (nam quis aquae parcat ?) factam de simplice nympha  
941 sentiet esse deam, et vim numinis ipse probabit.  
942 Delicias fundens tales, medicamina sudat.  
943 Cortice distillant unguenta potentia cocto,  
944 et pretium est lacrimis, quantum non ulla mereri  
945 gemma potest, oculo pulchrae nec blanda puellae  
946 gutta tremens, cum se pavitantem dedit amanti.  
947 Non illis rabidi praesentior ulla veneni  
948 antidotus, medicant medicatae cuspidis ictum,  
949 et gemina exarmant armatas morte sagittas.  
950 "Omnia paene dedisse parum est." Quid, metla, superbis ?  
951 Tam variis dotata bonis, tot munera fundens  
952 vinceris ipsa tamen. Dat scilicet omnia coccus,  
953 Indorum palma omniparens, qua sospite numquam  
954 non mihi certe umquam) dicetur America pauper.  
955 Tollat Iberus opes, tellurem evisceret ipsam.  
956 Si coccus solas cum libertate relinquat  
957 invidiosus erit miserabilis Indus Ibero.  
958 Quis nisi mentis inops, et diis invisus avarus,  
959 ulteriora petat ? Nam quid negat utile coccus ?  
960 Vestimenta, domos, panem, bellaria, vinum,  
961 et mensas lectosque, et vasa et pocula magna,  
962 et lactis mollem, et stomachum recreantis aceti,  
963 atque olei pinguem tribuens mellisque liquorem ?  
964 Nec tantum in terris, dominatur et aequore coccus.  
965 Fit ratis ex illa, fit malus, vela, rudentes,  
966 omniaque instrumenta ratis, tandemque repletur  
967 mercibus ipsa suis. Vectores excipe solos,  
968 cetera sunt cocci, neve excepisse necesse est  
969 vectores, solo nutritos munere cocci.  
970 Barbarica horrendum fremuerunt murmure laeto,  
971 et non civili plauserunt numina gestu.

972 Nostra sed attonito se lumine circumspectant.  
973 Invidisse putem, nisi quod non possit inesse  
974 invidia ulla deis. Saltem sic credere verum est  
975 nos homines, et quicquid agant, fiam ipse deorum  
976 candidus interpret. Sed America natio divum  
977 (quamquam militiae vix pars centesima tantae  
978 explicuisset adhuc campo sua signa patenti)  
979 protinus exsultans, et semper ad omnia praeceps,  
980 iudicium divae clamore exposcere magno.  
981 Jamque in concilii medio Pomona locata,  
982 multa putans secum prudenti corde parabat  
983 dicere (de lana neque enim lis illa caprina,  
984 sed mundorum agitur celeberrima causa duorum,  
985 patronisque deis), dixissetque amplius, aut non  
986 forte liquere sibi, mihi si penetrare deorum  
987 fas homini mentem. Sed res inopina levisque  
988 iudicium horribili turbat sollemne tumultu.  
989 Tempore nam toto tam nobilis arborilustri  
990 et bibulus Lenaeus et Omelochilus utrimque,  
991 si quicquam alterutri visum dictumve placebat  
992 vina propinabant ultro citroque protervi  
993 proelia miscentes, hic metlis, vitibus ille,  
994 neve pytissabant modico libamine laeti,  
995 magna sed inverso siccabant pocula fundo,  
996 'euhoë' clamantes. At procedente vapore  
997 in caput, ac frustra divinum utriusque cerebrum  
998 mutua ridentes convicia fundere primo,  
999 tum vero jurare exsecrarique vicissim,  
1000 et tandem nimio correptus numine metlae  
1001 Omelachilus atrox (timor et reverentia divi  
1002 exciderat Graeci) duram jacet impete coccum  
1003 immani, et frontem Bromio ferit improbus ipsam.  
1004 Sed vina excutiens tantum semihausta bibenti  
1005 innocuum sedit media inter cornua pomum.  
1006 Non tulit hoc Bacchus fervens iraque meroque,  
1007 agrestisque dei deformia adegit in ora,  
1008 turbine fulmineo gemmis signisque rigentem,  
1009 quem tenuit cratera manu. Brutum rudit ille  
1010 "Oï camacalli, camatli, natastlits, intelolocti",  
1011 vociferans patrio sermone. At cetera turba,  
1012 audito clamore, ululat, mugitque, rugitque  
1013 dentibus infrendens. Circumfluis undique pontus  
1014 ad sonitum resilit, fundo tremit insula ab imo.  
1015 Proximus huic fumos et nubila foeda tabaci  
1016 ore bibens, atroque eructans jugiter ore,  
1017 Vitziliputlus edax (monstro crudelior omni  
1018 Vitziliputlus, et humanae sacer helluo carnis)  
1019 fictile adhuc peto plenum procul abjicit amens,  
1020 et raptim tenditque arcum, promittitque sagittas,  
1021 "arma, arma" ingeminans. Nec segnius arripit arma  
1022 Tescalipuca ferox, duce nil humanior ipso,  
1023 totaque barbarici legio arripit horrida caeli.  
1024 Per diversa deae fugiunt, pavidaeque remota  
1025 post arbusta latent. Venus olim saucia bello  
1026 humano, miseris nil dat sperare deabus  
1027 divorum in pugna. Pallas tamen una remansit,

1028 paciferumque suae ramum projecit olivae.  
1029 Mascula turba deum ruit in certamina sancta  
1030 forti animo, planeque viriliter arma capescunt.  
1031 Forsan et illa dies caelestibus atra fuisset,  
1032 forsitan haud paucos longum mutilasset in aevum  
1033 (vel superum bello superos nam posse necare  
1034 credere non fas est), nisi tempore protinus illo  
1035 ipse stratagema innocuum reperisset Apollo,  
1036 non frustra deus ingenii medicusque malorum.  
1037 Nam, licet arcitenens, arcum non ille sonantem  
1038 dicitur intendisse, sonos magis ille potentes  
1039 noverat, arripuitque lyram, numerosque cievit  
1040 aurea veloci percurrrens pectine fila,  
1041 quales (crediderim) divum edidit auribus olim  
1042 concentus mundi sacer, et dulcissimus ordo,  
1043 cum lites elementorum natura diremit,  
1044 disposuitque modis divinitus omnia justis.  
1045 Illi (crediderim) compescere bella furentum  
1046 Centaurorum, illi decimos componere fluctus.  
1047 Illi incurrentum valuissent hurricanorum  
1048 sistere vim rapidam. Late ligat omnia circum  
1049 laeta quies, atque auris avaraemuta voluptas.  
1050 Vitziliputlus atrox, ut sensibus hausit amoenum  
1051 attonitis sonitum, nervo excidit apta sagitta,  
1052 atque Coatlensis laeva delabitur arcus.  
1053 Ipse manus levat admirans, hiat ore profundo,  
1054 excutit et capiti variae diademata plumae  
1055 auribus arrectis subito. Jam maximus aram  
1056 sustulerat magnam Viracocha sub arbore sacra  
1057 Pomonaequae sacram, quae saevi fulminis instar  
1058 jam missurus erat (jaculator fulminis ingens  
1059 ipse domi caeloque suo), at modulamine primo  
1060 omnipotente dei et magica dulcedine tactus  
1061 deposuit saxum, seditque intentus in ipso  
1062 pacifici auditor cantus, atque immemor irae,  
1063 non centena umquam magis hostia mitigat illum.  
1064 Te quoque dedecoris tanti, oblitumque doloris,  
1065 Omelochile miser, mulctato tam male vultu  
1066 subrisisse ferunt, mox et risisse libenter.  
1067 Nam (proh mira fides et vis divina melorum !)  
1068 Ipse repercussus modulis caelestibus aer  
1069 toto erumpentem compescuit ore cruorem,  
1070 musicaque imposuit numerorum vincula victo.  
1071 Ipsae sponte sua dirupti vulneris orae  
1072 antiqua coiere fide, harmoniamque sonoram  
1073 cunctarum sequitur felix concordia rerum.  
1074 Ergo suae laetus successu et viribus artis,  
1075 captorum enormes gestus ac gaudia divum  
1076 ridet, et urget opus, superatisque instat Apollo,  
1077 vocem addens blandis divinam et carmina nervis.  
1078 Carmen erat, mundum per saecula longa latentem  
1079 ut sacra herous concepit mente Columbus.  
1080 "O felix ! mundique oculo mihi cognita soli  
1081 regna videns animo ! Nostrosque emense labores,  
1082 Pellaei juvenis superans vastissima vota,  
1083 inventorque orbis, quem tantum optaverat ille !

1084 Non te nostrorum decepit fabula vatum,  
1085 a quibus Hesperium descendere lassus in aequor  
1086 (lassus ego ?) insimulor. Sensisti numine nostro  
1087 digna magis, mentem ipse dabam tibi, magne Columbe.  
1088 Tunc aderam, et stimulos agitabam in pectore sanctos.  
1089 Non te continuit pro desidis Herculis olim  
1090 meta, nec intacti reverentia sacra profundi,  
1091 nec te naturae caligo horrenda latentis.  
1092 Tres audax menses, mundo post terga relicto,  
1093 jactaris pelago immenso, nova suspicis astra,  
1094 ignotos fluctus, ventosque et monstra marina  
1095 ignotosque deos terres interritus ipse,  
1096 tu solus. Comitum trepidant sed inertia corda,  
1097 et reditum indecorem poscunt infanda minantes,  
1098 cum miseris procul apparet laetissimus ignis  
1099 de specula, Guanahana, tua, et plaudentibus orbem,  
1100 luce novum felici aperit. Clamore salutant  
1101 immodico signum, complectunturque Columbium.  
1102 Hac patuit porta nunc pervius aurifer orbis,  
1103 ille dedit parvus parvumque accensus ad usum,  
1104 ille dedit quantum lucem mortalibus ignis !  
1105 Quam facile hoc adytum penetravit in intima mundi  
1106 sepositi virtus, seu virtute acrior ipsa  
1107 Europaea fames auri regnique cupido ?  
1108 At gens Hispanam miratur America classem  
1109 ad sua diffusis tendentem litora velis,  
1110 viventesque putat terris accendere moles,  
1111 aligeros cetos, formaeque animalia mirae  
1112 mirantur cultumque habitusque atque arma virorum,  
1113 et crustam humanis ferratam accrescere membris.  
1114 Ferventes mirantur equos, equitesque biformes,  
1115 et varium duplici conflatum ex corpore monstrum,  
1116 hoc hinnire, alioque loqui (quis crederet ?) ore.  
1117 Praecipue bombardarum vultumque sonumque  
1118 et subitas fumi commixto fulgere nubes,  
1119 et veri pejora imitamina fulminis horrent.  
1120 Te vidi attonitum (non, sodes, ipse negabis),  
1121 altitonans Viracocha, homines timuisse tonantes.  
1122 Nec minus interea vestrae stupet advena terrae  
1123 insolitam rerum faciem, ignotasque figuras.  
1124 "Miratur tot ubique novis animantia formis,  
1125 plantasque fructusque novos, hominesque deosque  
1126 naturamque aliam, sed enim super omnia vecors  
1127 immensas miratur opes, glebasque micantes  
1128 auriferosque amnes, nimium haec miratur amatque  
1129 ah nimio nimis ! Hinc caedes et bella nefanda  
1130 quae gestit mox hostis atrox ex hospite factus,  
1131 quae mihi nunc memorare dolet, puduitque videre.  
1132 Hinc desolatum late cultoribus orbem  
1133 vidimus, hinc mundi integri, tamquam unius urbis  
1134 vidimus excidium. Quid nunc certamen inane  
1135 exercet ? Quid nunc pomos defendere tentat  
1136 terra suas, sua quae defendere viscera nescit ?  
1137 At tu praeteritas tandem obliviscere clades,  
1138 nam tanti non parva Deus tibi, America, vindex  
1139 et dedit et majora dabit solacia damni.

1140 Gaude sorte tua, pars omnis amara vorata est  
1141 jamdudum, dulcis superest." Hic intima ab arte  
1142 laetificos ciet ore modos ac pectine Phoebus,  
1143 laetantur monstrosorum fera corda deorum,  
1144 membraque saltantum jactant immania ritu,  
1145 sed taciti, metuunt sacrum interrumpere carmen.  
1146 "Jamdudum Europa saevum dominatur in omni,  
1147 et vos abreptum vobis ulciscitur aurum.  
1148 Jamdudum insultat captum victoribus ipsis,  
1149 nec scelerum Hispanis terris jam causa minorum est  
1150 quam vestris Hispanus erat. Jura omnia sternunt,  
1151 cuncta ruunt, miscentque simul quacumque redundant  
1152 divitiae, sed nec populis damnosior ulla est  
1153 cognita diluvies. Plures arcessite Iberos,  
1154 et similes gentes (quae non imitantur Iberos ?),  
1155 effodiantur opes vestrae de stirpe relinquunt  
1156 quas terra emittit fruges, quascumque recondit.  
1157 Qua lubet, o tollant, tollant fomenta malorum.  
1158 Infelicem Helenam mundis ambobus Erinnyn  
1159 communem rapiunt, quam tristia bella sequuntur  
1160 qua venisti, atque ignes, regnorum ultima fata.  
1161 Tantillo interea pretio quot commoda vitae  
1162 mutastis ? Pulsa est morum importuna priorum  
1163 barbaries, gens depulsa est hominumque deumque  
1164 carnibus humanis tandem victuque profano,  
1165 sive horrende fames, seu detestabile quoddam  
1166 luxuriae genus illud erat, tu deseris ipse.  
1167 Tu paulatim epulas jam, Vitziliputle, cruentas,  
1168 jam nebulis plerumque satur fumoque tabaci.  
1169 Vescerisque brevi (sic dii vescuntur honesti)  
1170 ambrosia tenui, et caelesti abstemius aura.  
1171 Nunc agitis civile bonis sub legibus aevum,  
1172 nunc habitare domos et munire oppida vallo,  
1173 vomere nunc terram, et pontum didicistis arare  
1174 navigiis, magnique patent commercia mundi.  
1175 Nunc vestis variae decus et tutamen habetis  
1176 armorum, et vitae lauta instrumenta beatae,  
1177 et belli pacisque artes, totamque Minervam.  
1178 Ipsae etiam proavis incognita numina Musae  
1179 incipiunt jam se vestris assuescere terris  
1180 et gaudere loco. Jamdudum vidimus Incas  
1181 historicos, visuri olim magnosque poetas.  
1182 Quod nisi falsus ego (at Phoebus quis verior augur  
1183 venturi ?), veniat saeculis volventibus aetas  
1184 cum vestris corrupta opibus, maturaque messi,  
1185 proventu scelerum ingenti, virtute fugata  
1186 diisque suis, cadet Europe, pars optima mundi,  
1187 externis propriisque simul cadet obruta bellis,  
1188 heu deserta diu et vobis miseranda jacebit.  
1189 Tunc orbis (gaudete) vigebit gloria vestri,  
1190 ingenium, pietas, artes, ac bellica virtus.  
1191 Huc profugae venient, et regna illustra condent.  
1192 Pone sequentur opes. Nollem, sed, credo, redibunt  
1193 in patriam, patriaeque iterum pro more nocebunt.  
1194 Imperia hic serae statuent tum maxima Parcae,  
1195 non numero ingenti servorum et inutilis auri,



1196 barbarico tantum fulgore potentia vulgi  
1197 sensibus attoniti, vidistis qualia nuper  
1198 regna Motezumae vel ditis Guanacapaci,  
1199 qualia Romano quondam sed vidimus orbe,  
1200 et domina his virtus erit, et fortuna ministra."

PLANTARUM LIBER VI

(1230 v.)

SYLVA

P\_6\_1 v.1 Nunc age, delicias hortorum, Musa, nitentum  
2 desere, nunc obscura tibi, nunc aspera dumis  
3 (qua Phoebus, ductor tuus olim, excluditur ipse)  
4 per saltus tentanda via, et nemorum invia, restat.  
5 Eia age venatrix, densas penetremus in umbras,  
6 intima scrutemur viridantum lustra dearum.  
7 Solve mihi ingenium pede velox, solve sagacis  
8 iudicium naris. Facundia libera currat,  
9 naturamque premat laeto clamore latentem.  
10 Tende plagas mentis, subtilia retia tende,  
11 et magna constringe fugax indagine verum.  
12 Hic tuus est venatus, et haec tua sola ferina.  
13 Sed neque te pudeat pomaria ditia silvis  
14 pauperibus mutasse. Habitarunt numina silvas,  
15 fors an et hic habitent. Habitavit proximus illis  
16 Carolides, nemoris dono tutatus opaci  
17 augustum caput, et nulli violabile Parcae.  
18 Huc ades, o dilecte Deo ! sacrum tibi lucum  
19 pangimus, aeterni pubentem veris honore.  
20 Tu mihi, tu praesens frondosi carminis ipse  
21 numen adesto, tuamque volens hic incole quercum  
22 quam tibi longaevam statuo. Non illa latebras  
23 perfugiumque dabit, sed victor fronde sedebis  
24 servatam ob patriam redimitus tempora querna,  
25 fulgebisque altus, totique videberis orbi.  
26 Vos quoque, silvicolae, vel (si fas dicere) silvae  
27 orbis, Hamadryades, non ultima fama Britanni.  
28 Vos mihi cantanti capite inclinante faventes  
29 annuite, o, venia liceat mihi pandere vestra  
30 res veterum sacra nemorum caligine tectas,  
31 atque novum ingentes immittere lumen in umbras.  
32 Fas mihi, florentis consulta verenda senatus,  
33 sermonesque deum fas sit proferre virentum,  
34 ignotasque homini voces, quas auribus haurit  
35 nescius attonitis, ramorum audire sonores  
36 mobilium credens, et ludicra murmura venti.

37 Sed laurus Phoebō (qui tunc procul abfuit ipse  
38 orbe vehens alio), Phoebus mihi singula dixit,  
39 nunc ego mundo omni plantarum praedico vates.  
40 Tempus erat quo Jacobi certissima proles  
41 (Carolus ipse pius, propago mitis olivae)  
42 Angligenas placida populos in pace regebat,  
43 felix ante alios reges, dum fata sinebant,  
44 dumque gubernantis tempestas improba rerum  
45 non renuebat opem, nunc felicissimus ultra  
46 invidiam, et divum leto transgressus honores.  
47 Nam miseram vento Europam bellante per omnem,  
48 et strage informi silvas lacerante vetustas,  
49 pax super oceanum fertur turbata volasse,  
50 et tepidum in lucis nidum posuisse Britannis.  
51 Non illum vano dea fecundissima fovit  
52 incubitu, pullique exclusi protinus aurei,  
53 justitia atque fides, atque uno copia cornu,  
54 sed pleno atque malis noto medicamine multis.  
55 Talia crediderim Saturno saecula rege.  
56 Tam laevi atque albo transisse per aethera tractu,  
57 sed sibi tandem oneri nimia est fortuna, deisque  
58 ipsis invidiae. Taedet tandem esse beatos,  
59 et levitas hominum pulchram temeraria mutat  
60 pellice deformi uxorem : mutatio pulchra est.  
61 Non aliud morbi mortisque instare periculum  
62 certius affirmant medici, quam cum integra visu,  
63 luxuriansque valetudo, sine vulnere causae  
64 ullius, nulloque vigorem fracta labore  
65 sponte fatigata atque labans sibi displicet ipsi.  
66 Talis erat status Angligenum tam pulcher et aeger,  
67 fortunatorum nimium bona si sua nossent.  
68 Sed tam ingrata nihil levat ignorantia culpam.  
69 Ergo Deum magnis monitrix apparuit ira  
70 prodigiis, heu, necquiquam, ceu fulminis ictum  
71 antevolare solet rapidi praenuntia flamma.  
72 Ipse puer, nondum (manet horrida imago) bilustris,  
73 tristia me memini toto aethere signa videre.  
74 Vidi equidem instantum lato terrore malorum  
75 conscriptam caelo historiam. Convexa polorum  
76 lucenti (heu trepido referens) accensa procella,  
77 et faciem inferni flagrantem imitata barathri,  
78 undique sulphureos flammaram volvere fluctus.  
79 Tum rupta nube horrendam pulchramque repente  
80 sese aperire intus scenam, duplicesque stupendo  
81 ordine dispositas acies, belloque paratas  
82 luminis aerati fulgentes stare sub armis.  
83 Monchius haud acies melius, fortissimus heros,  
84 instruxisset eas, bello clarissimus omni  
85 Monchius, patriae columenque decusque ruentis,  
86 qui tunc forte aliqua descriptus et ipsa figura  
87 militiae caelestis erat, rapidumque premebat  
88 altus equum. Nostras timor an deceperit aures  
89 nescio, credidimus clangorem audire tubarum,  
90 principium pugnae. Concurrunt protinus alae  
91 hic equitum ardentis, adversaque pectora trudunt  
92 obnixi. Hic pedites hastilia longa coruscant,

93 veraque ab aetheriis sclopetis fulmina mittunt.  
94 Involvunt superos taetra caligine campos,  
95 factaque nubigenum memoranda, et fata virorum.  
96 Sed partem immensae stragis faciemque tumultus  
97 confusam, rivisque rubentem sanguinis aethram  
98 vidimus, armorum splendore et luce maligna  
99 fulguris emisit quam tormentarius ignis.  
100 Tandem acies nobis melior quae visa, figuris  
101 nobilior magnis late armorumque virorumque  
102 heu conversa fuga est. Nox cetera condidit alta,  
103 mortalesque hebetans visus caligo futuri.  
104 Non tamen his multisque aliis (quae tempore in illo  
105 plurima visa piis) commota est Anglia torpens  
106 prodigiis. Silvae quis tunc obscura timebat  
107 monstra Caledoniae ? Quis murmura plebis ineptae ?  
108 Quis tunc schismatici fermenta latentia zeli ?  
109 Impius aut quod tum nomen Cromvellus habebat ?  
110 Nec sat erat divis, urbes aulamque ruinae  
111 praemonuisse gravis, saltus silvasque monebant.  
112 Nam paria et silvis instabant fata Britannis.  
113 Flante videbamus Zephyro procumbere quercus  
114 funditus ejectas possesso milleper annos  
115 natalique solo. Zephyro quis talia demens  
116 imputet innocuo ? Dryades videre deorum  
117 semideae dextras stirpem sine falce secantes.  
118 Ast aliae, frondes (portentum triste) ferebant  
119 enormes, formaque nova insolitoque colore,  
120 et numquam foliis manabat melleus humor,  
121 nobile nec ramos viscum ditabat ovantes,  
122 sed gallis onerabantur, gallisque latebat  
123 in cunctis musca infelix, divina futurae  
124 cladis, et obscuro mussabat murmure diras.  
125 Saepe nemus totum subita quasi febre laborans  
126 nullis tranquillum turbantibus aera ventis  
127 contremere horrescens. Turbantibus aera ventis  
128 pro strepitu arboreo tristes resonare per umbras  
129 humano similem gemitum et suspiria vera,  
130 quin etiam obscenae summa dicuntur in orno  
131 luce palam, Phoebos frustra indignante, volucres,  
132 bubones, ululaeque, et nomen noctis habentes  
133 sedisse, et diro temerasse examine silvam.  
134 Siqua fides vati, spinturnix ipsa fuisse :  
135 dicitur inter eas monstro feralior omni  
136 spinturnix. Avis ignota est mortalibus illa,  
137 sed novere deae, et visa tremuere misellae.  
138 Singula quis memoret ? Sed quid monstrosius isto ?  
139 Exclusisse cavo serpentes ova feruntur  
140 fraxineae trabis. Haud umbrae perferre solebant  
141 fraxineae supremam oram, vix frondis odorem  
142 fraxineae, objectos mallent incurrere in ignes.  
143 At magis haud ullum silvestria numina movit  
144 prodigium arboreum, quam tactas fulmine laurus  
145 cernere, contactas viderunt fulmine laurus  
146 quas Jovis ipsius veteri diplomate dicunt  
147 fulminis immunes semper vixisse, nec ullas  
148 pertimuisse minas caeli sortemque tulisse,

149 quam nulli poterant victori tradere tutam.  
150 Tam fera monstra deum, manifesta que signa malorum,  
151 religiosa cohors et conjectare peritae  
152 orbis Hamadryades non neglexere Britannii.  
153 Est vetus atque ingens, fama celeberrima, silva  
154 (hinc Vaga Cambriacis sacram disternat agris,  
155 illinc vix Thamesi cedens Sabrina potenti  
156 alluit) Ardennae quondam praenobile nomen,  
157 nunc Denae datur, et nomen mutilatur et ipsa.  
158 Plus nulli Martis nocuit crudele metallum :  
159 caeditur et ferro, et ferro succisa coquendo  
160 inservit, propriaeque infelix tristia mortis  
161 instrumenta facit. Sibi damnum parturit ipsa  
162 arboribus fecunda super, subtusque metallis.  
163 O semper bona pauperies, et conditus alta  
164 thesaurus tellure nocens ! O semper ovantes,  
165 integrae, salvaeque solo non divite silvae !  
166 Nunc quota pars nemoris manet inconsumpta vetusti ?  
167 Sed tamen hanc partem (tanta est reverentia) parvas  
168 ferri reliquias immitis, et ignis avari,  
169 numina multa colunt, et adhuc post omnia damna  
170 nobilior terris non incubat umbra Britannis.  
171 Hic longaeva Dryas, regni regina virentis,  
172 cui vectigales immensi adjunxerat undas  
173 Oceani victrix, nymphis silvestribus ipsa  
174 concilium indixit magnum, et venere frequentes.  
175 Omnes quae poterant caelum perferre Britannum  
176 silvestres venere deae, leviterque supino  
177 colle super, pulchra circum cinxere corona  
178 reginam in medio Dryadam. Non ora dearum  
179 feminea, arboream sed formam habitumque gerentes,  
180 officiique sui festis conventibus aptum  
181 ornatum viridem. Siquis bello ordine stantes  
182 praeteriens vidisset eas, non ille putaret  
183 numina, sed lucum magnis se cernere sacrum  
184 numinibus. Talis scaenae frondentis imago,  
185 quam parte ex una rivus circumdat amoenus  
186 decurrentis aquae, viridanti in margine sedem  
187 occupat, atque solo se sistit molliter udo  
188 Leuceis, comes Alcidae, Herculeosque labores  
189 umbra refert bicolor folii. Pars nigra superna est,  
190 alba subest. Olli comes est Phaetontias alnus.  
191 Ambusti memor, ac casu perterrita fratris,  
192 multa gaudet aqua, et vivit secura sub undis.  
193 Huic latus adjunget gens olesicarpia dicta  
194 Iteades Nymphae, castissima turba sororum,  
195 et vel adhuc juvenes incano crine severae  
196 flumen amant. Mores dilectum frigus in ipsos  
197 transit, et egelido lentore Cupidinis ignes  
198 extinguunt salamandrae instar. Dant vincula rebus  
199 firma aliis, solos gaudent disjungere amantes.  
200 Non minus his 'acte' laetatur et assidet undis, (mot grec : sureau)  
201 sed tamen humanis stagnantes pellere membris  
202 dicitur, haec effata : "Quid hic torpetis inertes ?  
203 Haec sola sanguineis tantum sunt debita rivis.  
204 Quid cruciare hominem juvat, o, dum plurima vobis

205 arbor honesta caret ? Quin ocius (inquit) abite,  
206 inque uterum terrae vestrum descendite." At illae  
207 qua via permittit descendunt agmine denso,  
208 et toto exactus de corpora depluit humor,  
209 territus imperio magno virgaque potenti.  
210 Stat prope nullius non hospita laeta betulla,  
211 arentis madidive soli, nullo aere tristis.  
212 Mollis et alba cutim, formosam vertice fundens  
213 caesariem, sed mens tetrica est, sed nulla nec arbor  
214 nec fera silvarum crudelior incolit umbras.  
215 Nam simul atque urbes concessum intrare domosque  
216 plagosum Orbilium saevumque imitata draconem  
217 illa furit, non ulla viris delicta, nec ullum  
218 indulgens ludum pueris, inscribere membra  
219 discentum, teneroque rubescere sanguine gaudet.  
220 At contra urbanae multa instrumenta ministrat  
221 prodiga luxuriae nimium 'sphendamnis', et omnes (grec : érable)  
222 venarum impendit labyrinthos versicolorum.  
223 Hinc pretiosa nitet citroque secunda supellex,  
224 molluscum, bruscumque, atque aspera nomina laevis  
225 lautitiae, quoniam gula jam languescit inepta,  
226 ditia sustineat nisi dives mensa nepotum  
227 fercula, tamquam ederent maculosi tubera ligni.  
228 Ah melius, quanto 'zygias' tibi provida, venter, (variété d'orme)  
229 consulit, agricolae cum dat juga fortia tauro,  
230 materiemque moletrinae cum sufficit aptam !  
231 Ah melius quanto 'pteleas' tibi rustica, praebens (variété d'orme)  
232 et frondem armentis, et aratris utile lignum,  
233 rustica, sed felix et Baccho conjuge clara !  
234 'Oxyas' una nemus spatiosum proxima fundit, (hêtre)  
235 et gratam pecori, gratam pastoribus umbram,  
236 sive diem somno, seu malint frangere cantu  
237 aestivam. At potius, pastores, frangite cantu :  
238 cantando fagos mulcebat Tityrus altas.  
239 Hinc olim juvenis mundi melioribus annis  
240 fortunatarum domuum non magna supellex  
241 tota petebatur : sellas, armaria, lectos,  
242 et mensas dabat, et lances et pocula fagus.  
243 His celebrare epulum veteres et festa solebant  
244 vina coronati divis libare benignis,  
245 his retinere (opus haud fuerat placare) faventes.  
246 Nulla scyphos umquam infamarunt toxica tales,  
247 sed sitis exhaustit plenos segura, nec illud  
248 arcana evenit ligni virtute potentis.  
249 Paupertas fuit antidotum contra omne venenum.  
250 Tales tunc habuit placidos et fraxinus usus  
251 (fraxinus ipsa arbor, Melias sed nympa vocatur).  
252 At postquam ex illa fabricata est Pelias hasta  
253 et bibit Hectoreum (pro gloria saeva !) cruorem,  
254 bella colit, nec jam pluvias vicinaque tantum  
255 flumina, sanguineos quantum sitit efferat rores.  
256 Non illi inferior procero corpore juxta  
257 (sed pia et alterius studiis operata Minervae,  
258 nam tenui donat victura volumina libro)  
259 stat 'philyra' ; haud omnes formosior altera surgit (tilleul)  
260 inter Hamadryadas : mollissima, candida, laevis,

261 et viridante coma et beneolenti flore superba  
262 spargit odoratam late atque aequaliter umbram.  
263 Istam componit nativa imitata venustas  
264 culturam, et multo ditat medicamine virtus,  
265 unaque plantarum dotes complectitur omnes,  
266 una omnes merito connectere nata coronas.  
267 'Achras' acerba tuens et 'Oreimelis' simul astant (poirier  
268 nequicquam maturae et nullo sole domandae. et pommier sauvages)  
269 Venerunt etiam silvasque hortosque colentes  
270 amphibiae nymphae. Non belli nominis 'ouas', (sorbier)  
271 'oxyacantha' ferox, 'sycaminea' sanguine tincta, (berberis, sycomore)  
272 tincta cruore atro, sed et ossea tota 'craneia', (cornouiller)  
273 et 'carya', et 'corylis' dura, et cute 'castanis' hirta. (noyer,  
274 Quis neget has lautas et opimas vivere in hortis coudrier, châtaignier)  
275 queis domus urbana est, in silvis rustica villa ?  
276 Sed nec abesse putes spinam conventibus albam  
277 talibus. Omne solum natale est, intrat ubique  
278 ardelio. Illa quidem cultis excluditur agris  
279 plerumque atque hortis, sed circumsaepit utrosque  
280 atque omnes aditus servat fidissima custos,  
281 utilior latrante cane armatoque Priapo.  
282 Aspera frigoribus saxisque Helvetia tales  
283 educat, et peregre terras emittit in omnes  
284 enormes durosque viros, sed fortia bello  
285 pectora. Non illi cultu, non moribus aulas  
286 atque urbes decorare valent, sed utrasque fideli  
287 defendunt opera, nec iis, gens cauta, tyranni  
288 praeponunt speciosa magis multumque sonora  
289 praesidia. His certi vitam tutantur opesque.  
290 Hos quoque cum junctos videas, justaque sub armis  
291 dispositos acie, toto nullum agmen in orbe  
292 nobilius dices visu aut formosius illo.  
293 Non igitur temere veteres ex arbore tali  
294 quae rigidae saepis munimina firma ministrat  
295 contra praedonum insidias furumque ferarumque  
296 excidere sacras Hymenaea ad foedere taedas  
297 jusseruntque novis vigiles praeire maritis.  
298 Huic comites addunt sese de more frequentes  
299 horrida prumnitis pomo fecundo severo  
300 aspera virgo batis, rosa morsu nota canino,  
301 auxiliatrices ad saepimenta catervae.  
302 Haud minor aeterno pubentum frondis honore  
303 silva aderat, victrix brumae, nec legibus anni  
304 subdita vertentis. Nihil illa vel indiga solis  
305 vel Jovis est, sed vere suo privoque beata,  
306 et ridet plorante polo terraque gemente.  
307 Pyxiadis frondes hiemem, sed saecula vincit  
308 omnia materies, dentemque fatigat in illa  
309 tempus edax frustra. Tamen omni cerea formae,  
310 culturae dociles ramos accommodat omni,  
311 ingeniosa sequi dextramque artemque magistri.  
312 Si tibi sic visum est, humiles distinguet in imo  
313 repens areolas, et flores stare superbos  
314 aspiciet supra. Si vis, caput efferet alte  
315 magna arbos, sumetque volens quamcumque figuram.  
316 Seu jubeas hominem fieri, seu forte leonem,

317 seu volucrem, trunco viridis quasi psittacus illa  
318 insistet proprio. Statuasque hinc ordine pulchras  
319 arboreus tibi Praxiteles disponet in horto,  
320 nec minus artificum obsequitur defuncta labori.  
321 Hinc simulacra dolant, atque immortalia paene  
322 numina, divinamque canens multo ore Cybellen  
323 delectat patrios Berecynthia tibia montes.  
324 Hinc fabrefacta sacros diffundit pyxis odores  
325 nativo purgata. Strepunt hoc cardine valvae,  
326 hinc solidi plaustorum axes et buris aratri,  
327 haec et femineo multum officiosa decori  
328 caesariem terget nitidam. Non ultima belli  
329 arma puellaris, laqueos haec nectit amantum,  
330 et venatricis disponit retia formae.  
331 'Agrias' insidiis levibus captare volucres  
332 contenta est, celerisque fugam constringere pennae.  
333 Sed mala furta hominum densis mucronibus arcens  
334 securum defendit inexpugnabilis hortum,  
335 exornatque simul, toto spectabilis anno,  
336 et numero et viridi foliorum luce nitentum,  
337 nec piget his decorare domos. Juvat undique laetas  
338 texere acufoliae ramos, roseique pusillis  
339 coralii gemmis deformem ornare Decembrem,  
340 et gelidas vernis hilarare coloribus horas.  
341 Plus hiemi praestat comaris, dat edulia poma,  
342 non terrena ferens nec humi repentina fraga.  
343 Hac sola infelix silvestri pascitur esca  
344 Janus, et esuriens non uno devorat ore.  
345 Phillyris et pyracantha oculos hominumque deumque  
346 pascere contentae, baccarum fercula rubra  
347 dant avibus solis, et tandem debita gratae  
348 per brumam aestivi persolvunt praemia cantus.  
349 Maesta subit smilax, habitu lugentis ad urnam  
350 aut bello rapti aut morbo inclemente mariti.  
351 Maesta subit, veloque umbrae circumdata nigrae  
352 heu nimium infelix et inani nympha laborans  
353 invidia ! Falsi sub suspicione veneni  
354 insontem Graii quam damnavare poetae,  
355 historicique fide famam levio secuti.  
356 Me decet arboreum vatem purgare malignis,  
357 arboream dictis, et ficto crimine divam.  
358 Siqua fides vati non Graio, taxus ab omni  
359 pura veneficio est, taxi sub tegmine quivis  
360 dormiet, inque oculos, inque aures utrasque.  
361 De vino responde mihi, et mihi pocula praebe  
362 toxica, non equidem parcam vel dante noverca.  
363 Putida, grammatici, res est hinc toxica dici,  
364 illa trahunt arcus Graeco de nomine nomen  
365 triste, venenatae veteri de more sagittae  
366 mortiferis titulum saevum inposuere venenis.  
367 Cantanti nec obesse soles, Arceuthi, gravemque  
368 objicit immerito vatam tibi maximus umbram,  
369 juniperi levis umbra nocet nec frugibus ipsis.  
370 Quam multa arboribus tribuuntur crimina falso !  
371 Virtutes utinam nullae ! Latet intus ocellos  
372 effugiens, densoque obductum cortice ferrum.

(houx)

373 Te quoque, si liceat vellem excusare, Sabina,  
374 non licet, et sceleris nimium manifesta teneris,  
375 per te prima novae scintilla industria vitae,  
376 pauper, et in flammam nondum eluctata micantem  
377 (triste nefas !) aspersa veneno exstinguitur udo.  
378 Non hic immerito comitem, funesta Sabina,  
379 funeream Cyparissin habes. Comes omnibus illa  
380 sed pia funeribus, tu nondum (barbara) natos  
381 tollis, at illa senes etiam deplorat adeptos.  
382 Talis erat puer ille deo Cyparissus amatus  
383 lucenti, tam leni animo, tam pectore molli,  
384 vulnera qui lugens et lamentabile fatum  
385 dilecti sibi cervi in mortem tabuit ipse,  
386 sed faciem hanc illi miseratus Apollo refecit,  
387 et dedit esse cupressum, aevumque agitare perenne  
388 cortice sub viridi, Cyparissis nympha vocatur,  
389 cupressusque arbor. "Tuque o (deus aureus addit),  
390 cui tantilla movet tam magnos causa dolores,  
391 semper eris merito tu maxima praefica luctus  
392 funebris, Diti sacra et diis manibus esto."  
393 Sic ait, et veri bene gnarus in arbore mortis  
394 aeternae posuit praesagia dulcia vitae,  
395 materiem invictam carie, nec temporis ulla  
396 labe fatiscentem, florentes semper honores  
397 frondis innociduae, pulchrae decora alta figurae,  
398 in morem liquidae caelum invadentia flammae.  
399 Stat prope major amor Phoebi, stat dignior ignis  
400 arboreus Daphne pulcherrima, casta sed omnes  
401 illa perodit adhuc, crepituque avertitur ignes.  
402 Non minus et castam deus ardens diligit illam,  
403 et vatem facit, et strepitu indignantis in ipso  
404 omen inesse jubet faustum laetosque sonores.  
405 Quid mirum est humilis si sacratissima laurus  
406 vulneris impatiens terreno stringitur hoste ?  
407 Fulgura quae superum circum volitantia tuto  
408 aspicit, atque minas caeli flammantis inanes ?  
409 O felix longe ante alias ! O maxima gentis  
410 arboreae princeps ! Vel si tibi principis aufert  
411 diva Dryas titulos, o certe maxima vates !  
412 Te reges tumidi, te victoresque superbi  
413 (par operi pretium) te proxima gloria mundi  
414 turba poetarum gestant, quos inter et ipsos  
415 (fas sperare) comas non dedignabere nostras,  
416 et foliis raro et sterili circumdare ramo.  
417 Tum vero ingentes Elate Peuceque sorores,  
418 sublimi feriunt rorantes vertice nubes.  
419 Quantum despiciunt montana cacumina valles,  
420 tantum illae stantes in summo montibus ipsis  
421 altius assurgunt, sic stabat turba gigantum,  
422 sic superinjecta frondoso Pelion Ossa  
423 stabant terrores superum, similesque superbis  
424 abietibus pinisque levabant brachia centum.  
425 Hoc bene prospectu terras pontumque profundum  
426 (nam domibus terras et pontum navibus ornant)  
427 non sine gaudiolo late sua regna tuentur.  
428 Ipsa etiam prinis palatia regia linquit



429       servantique fores sese exuit ilice sacra  
430       hortenses, remanet trunco vita aegra relicto.  
431       Interea, vix caelo alibi contento Britanno,  
432       nec sub sole quidem nostro sed rege virescens,  
433       huc jam maesta venit, monstris exterrita tantis,  
434       et fatis aulae super insolabilis albae.  
435       Tali sceptrigeram Dryadem circumstetit orbe  
436       nobile nympharum Angligenum nemus. Illa levato  
437       composuit sese tumulo mediamque locavit,  
438       multa majestate tumens, umbraeque favorem  
439       regales partes longe diffudit in omnes.  
440       Non ego, si venti mihi vox clamosa daretur,  
441       cum viridis querceta agitat reboantia Denae,  
442       te digne, veneranda Dryas, celebrare, tuarum  
443       vel potero silvam immensam describere laudum.  
444       Ex te (siqua fides miracula multa canenti  
445       danda vetustati est) erupit prima virorum  
446       tunc libro viridi, cute nunc contacta juvenus.  
447       Tunc quoque dura genus, sed Deucalionis in aevo,  
448       durior evasit, crustaque incalluit alba.  
449       Hanc famam eximiis subnixam auctoribus olim  
450       elevat, et spernit vanorum turba sophorum  
451       et schola Pyrrhonis, nimiumque Academia ridens.  
452       Fas dubitare quidem, sed non dubitabile et illud,  
453       quos tunc terra bonos homines magnosque creavit,  
454       his crevisse cibus, et querna glanda repasta  
455       aequasse annosas vivendo corpora quercus.  
456       Felix illa aetas mundi justissima nymphe,  
457       cum dabat umbra domum vivam tua, cum domus ipsa  
458       decidua dominos pascebat fruge quietos,  
459       solaque praebebant silvestria poma secundas  
460       gramineis epulas mensis. Nondum arte magistra  
461       arbor adulteriis praeluserat insita nostris.  
462       Alma Ceres, non est tua munificentia tanti,  
463       immites alimenta ferunt si mitia mores.  
464       Non tanti est, si gens hominum depulsa, ferarum  
465       victibus induitur naturam saeva ferinam.  
466       Hinc male mutatus respublica desiit esse  
467       mundus, et invasit communia commoda rerum  
468       quisque sibi. Hinc coeptum est partiri finibus agros,  
469       nataque confestim fines proferre libido.  
470       Hinc homini sua terra parum, mox nulla videri  
471       terra satis. Bonus ecce solum fastidit arator,  
472       pontum arat, his sulcis frumentum quaerit ineptus.  
473       Esto, non poterit magnus tentator avarus  
474       efficere ut fruges pontus ferat. Efficit illud  
475       ut ferat arboreum genus et te, maxima quercus,  
476       aequoris immensi montes transplantat in altos,  
477       inseruisse audax abiegnis robora malis.  
478       O Dryas, humani comes et patrona laboris !  
479       Si sapiunt, stabilique volunt requiescere sede,  
480       en domus est domino multum diuturnior ipso.  
481       Si possunt patrio contenti vivere fundo,  
482       das juga dura boum, stivamque, axesque gementes,  
483       omniaque agricolis vitae prompta arma beatae.  
484       Pallida si mentes agitat vesania lucri

485       fis ratis errabunda, trabes nec certior ulla  
486       ventorumque marisque incerta pericula lustrat.  
487       Mors fera compagem rabida circumsonat ira,  
488       dedignata levis tenui munimine ligni  
489       se fremere exclusam, ceu quondam raptor ovile  
490       discurrit circum lupus, exacuitque furorem,  
491       et rigido dentes nequicquam in poste retundit.  
492       Linque tuas porcis glandes, ditissima quercus,  
493       linque volens, homini quicquid parit undique terra,  
494       et quascumque ostentat opes, quascumque recondit,  
495       conquiris donasque, Eoque aromata portas  
496       occiduumque aurum, per te mollissima serum,  
497       silvaque odora Arabum Thulen pervenit ad ipsam.  
498       Per te nunc orbis reserati pervius usus,  
499       per te nunc iterum magnus respublica mundus  
500       incipit esse. Omnis nunc possidet omnia tellus.  
501       Si merita veteres celebrarunt laude poetae  
502       arietis unius referentem vellera fulva  
503       Phaside vicina pinum, penetrataque ponti  
504       claustra, et Cyanaeae ridenda pericula cautis,  
505       quis tandem oceanus famae tibi sufficit aut quo  
506       te satis ad caelum tollet facundia fluctu  
507       adjungetque astris, o magni sacra Columbi  
508       quercus ? Io, vectrix auri felicior Argo !  
509       At quercus Dracona tuos imitata labores,  
510       Phoebe, tuo digna est solius carmine dici.  
511       Sit sidus Pagasaea ratis, post tempora vitae  
512       et cursum aequoreae caelestis fulgeat instar  
513       arietis. Haec puppis totam circum acta per orbem  
514       sideris officio jamdudum et in aequore functa est.  
515       Quam bene consuluit terrae natura Britanniae  
516       oceani magnum tendens hic ponere regnum !  
517       Si non ingentes, Libani decora ardua, cedros,  
518       nec pinum Idaeam, aut palmam felicis Idumes,  
519       nec dites Arabum silvas et odora vireta,  
520       nec platani festam concessit amabilis umbram,  
521       at querceta dedit toto longe optima mundo,  
522       belligerumque nemus solidavit robore multo,  
523       at maris immensi vasta circumdata fossa  
524       insula stat segura minarum, et classibus illam  
525       roboreis communit inxsuperabile vallum.  
526       Non igitur Dryadae nostrates pectore vano  
527       nec sine consulto coluerunt numine quercum.  
528       Non illam Albionis jam tum celebravit honore  
529       stulta superstitio, venturive inscia saeculi  
530       Angliaci ingentes puto praevidisse triumphos  
531       roboris, imperiumque maris quod maximus olim  
532       Carolides vasta victor ditione teneret.  
533       Quid mirum hoc, siquidem veteres oracula quercus  
534       effudisse ferunt ? Superumque arcana voluntas  
535       principio rauca silvarum voce putatur  
536       significata homini, Phoebam qualiter implet  
537       vatem Cirrhaeis erumpens spiritus antris  
538       attonitam raptans et multo numine turbans.  
539       Haud aliter sacros inspirans ipse furoris  
540       robora Dodones agitavit ventus, at illa

541       terribili sonitu capita et fera brachia jactant  
542       Bacchantum more insano. Nemus omne tremebat  
543       atque abrupta volant folia undique et undique rami  
544       sparguntur lacerati, equitantem in turbine nescit  
545       silva deum stimulata pati, sed voce prementem  
546       excutit immani tandem. Deus ore dehiscens  
547       intonat arboreo mundi secreta futuri,  
548       multa simul glomerans obscura umbrosaque vera.  
549       At superum generi mortali aversa voluntas  
550       jamdudum sacras praestare silentia quercus  
551       jussit, et his tantum voce in conventibus uti,  
552       aut certe humanas, si coram aliquando loquantur,  
553       non intellectum profundere murmur in aures.  
554       Hic data libertas fandi, nec Chaonis umquam  
555       clarius in silva nec apertius ore locuta est  
556       fatidico Dryas. Immotis nemus undique ramis  
557       conticuit, vocemque arrectis frondibus hausit.  
558       "Magna deos generi nostroque hominumque minari  
559       cernitis, o sociae, et multum sperare nefastos  
560       arbitror eventus, tamen haec incerta malorum  
561       ne vos attonitas confundat imago prematque.  
562       Me nunc partem aliquam deus hic edicere jussit  
563       planius, et monitu virtutem armare salubri.  
564       Accipite haec totis mea dicta et condite rimis,  
565       fortiaque adversis opponite robora ventis.  
566       Non mihi vana fides. Hic, quo nunc induor ipsa,  
567       truncus ab antiqua descendit origine quercus  
568       quam mirata loqui primam Dodonia silva est.  
569       Nam Brutus, caesi genitoris regna perosus  
570       (filius infelix, felix pater ille Britanni  
571       nominis) Epirum venit maestissimus exsul.  
572       Illic progeniem, consanguinitate propinquam  
573       Pyramidae sceptris pulsam, solioque paterno  
574       restituit victor bello, et pietate solutus  
575       crimine fatali est. Nec dedignatus et ipse est  
576       compellare virum quercino Jupiter ore,  
577       Aeneaeque sui pronepotem emittere magnum,  
578       in similem Aeneae sortem longosque labores.  
579       Talia namque illi dirupto cortice fertur  
580       fudisse attonito et trepidanti oracula quercus,  
581       Chaonia steterat quae vocalissima silva.  
582       "Tros, o Silviade, non his tibi figere sedem  
583       parca dabit silvis, patriaeque piacula caedis  
584       plura tibi quamquam insonti, majoraque restant.  
585       Multa obeunda mari saevisque pericula bellis.  
586       Tu solidam obfirma mentem, perque aspera rerum  
587       finde novas virtute vias, dat praemia finis.  
588       Substitit Hesperiiis, Alcides Gadibus olim,  
589       nil ultra prono sperans de sole. Sed ultra  
590       tu penetrare aude, nec te vastissima veri  
591       terreat oceani facies, at vela memento  
592       in Boream dare dextrorsum. Tua fata Bootae  
593       plaustra vehunt, pigre, certo sed euntia motu.  
594       Auxiliumque feret totis tibi viribus astri,  
595       Ursa sui Jove prognato. Tua dextra tyrannos  
596       bis senos Gomeritarum sub Tartara mittet

597 praetereuntis opus. Quid adhuc victoria prodest  
598 tanta ? Triumphanti totus tibi clauditur orbis.  
599 Totius tu mundi exsul, te fata relegant  
600 ulterius, sed nec trepida, nec defice. Mundum  
601 illa dabunt alium, gremio quem condidit alto  
602 integrumque reservavit per saecula longa  
603 Oceanus tibi, Brute, tuum qui semper habebit  
604 et genus et nomen. Quicquid complectitur aether  
605 Aeneae Brutique dedere nepotibus astra,  
606 Aeneae terras omnes, maria omnia Bruti."  
607 Talia praedicens haec insuper addidit ore  
608 quercus hians sacro : "Memor esto, atque accipe glandes  
609 has (ait, implevit porrecto termite dextram),  
610 hae tibi erunt longi solamina muta laboris,  
611 promissique mei testes. Cumque ubere diti  
612 praebebit tua fausta solum Britannia dignum,  
613 has sere, in immensas crescent haec semina silvas,  
614 et quercus toto celebrabitur orbe Britanna.  
615 Chaoniam fama superabit filia matrem.  
616 Tum tu, Brute, mihi gratum instaurabis honorem,  
617 instituesque patres Druidas, sanctissima mundi  
618 nomina. Teutates habitabit robore in omni,  
619 laetaque felicitis vulgo dabit omnia visci."  
620 Dixerit haec quercus non veri vana, nec illam  
621 linea decepit puncto fatalis in uno.  
622 Primaque Chaoniis crevit de glandibus arbor,  
623 huic avia, ex qua nunc vobis oracula pando.  
624 Scilicet haec juvenis, cum primum huc Danica classis  
625 appulit, iratis Thore et Tuiscone deisque  
626 Saxoniae reliquis, bis centum circiter annos  
627 nata fuit. Meminit, viditque simillima nostris  
628 prodigia, heu, similes nimium visura ruinas !  
629 Ecce, illas video !  
630 Prima Caledoniis nubes de montibus orta  
631 Arctos operit campos Tuedamque quietum,  
632 limitis oblitum jamdudum munere fungi,  
633 et medium unius tantum se currere regni  
634 credentem, super acta volat popularibus auris  
635 Angliacosque agros ferali territat umbra.  
636 Sed terrere satis primo, simulacraque Martis  
637 (qualia vos nuper caelo vidistis in ipso)  
638 proludunt sicci. Fugat hostem argenteus imber,  
639 ignotum genus armorum, pugnacibus olim  
640 parcisque Angligenum proavis, sed prodigus emptor  
641 nunc pacis populus, scelerata infandaque bella  
642 mox pluris civilia emet. Pax sanguine primo  
643 ipsa rubet (proh dirum omen !) fontemque recludens  
644 purpureum in medio furiis operata senatu est.  
645 Magnorum invidia vir magnus, plebis ineptae  
646 integer injustis odiis, clamore disertus  
647 obruitur, sacer, o, multoque cruore piandus  
648 insonti pariter regi, sontique popello,  
649 principium belli damnata Vigornia fato,  
650 maesta videt victrix, et multo murmure plorat  
651 Sabrinae lacrimisque suae. Sed et ipsa videbit  
652 maestior, ah, belli (quis possit credere ?) finem.

653 Quis nunc Kintoniae sublimem in collibus altis  
654 me sistit deus ? Heu, qualem nunc flumine rubro  
655 despicio undantem vallem ? Quantisque tumentem  
656 aggeribus caedum ? Quas fervidus aequore toto  
657 Rupertus cumulat strages, victorque gemiscens  
658 rex pius ? Avertant cursum nisi fata secundum,  
659 tantorum ista dabit finem lux una malorum.  
660 Irati vetuere dei, victoria praeceps  
661 corrui, atque nequit vicinam attingere metam.  
662 Qua patet imperium tunc occupat omne Britannum  
663 Mars immane fremens, regni pars integra nulla est.  
664 Belerii extremis a cornibus Orcadas usque  
665 et vix laeta quidem semestribus arva diebus,  
666 in scelus exitiumque ruunt, furor omnibus idem.  
667 Albion infelix, quae te saevissima serpens  
668 Eumenidum, quaenam, o, haemorrhoids ore momordit ?  
669 Omnia membra fluunt stillantibus undique venis,  
670 tantum, tamque ingens, totum est pro vulnere corpus.  
671 Ter campos infausta tuos, Neuberria, cerno  
672 cladibus informes, superatque horrore nefando  
673 sanguine bis tinctos tua tristis fama Philippos.  
674 Mutua damna diu, atque alternae pondera stragis  
675 nutantem partis librant utriusque ruinam.  
676 Terribilem primo impulsum momentaque saeva  
677 Eboracensis ager dabit, et Nasbeia tandem  
678 mortiferum geminabit et immedicabile vulnus.  
679 Quod superest (namque omne nefas superesse putandum est)  
680 cernere me prohibete, dei. Quid deinde futurum  
681 secretum vobis, precor, integrumque tenete.  
682 Tollite notitiam venturi : haud gloria tanti est  
683 fatidicam dici atque oracula fundere, ut ista  
684 praevideam, videamque iterum. Sed se ingerit, ecce,  
685 congeries oculis non enarranda malorum  
686 et deforme Chaos : victor rapit impius omnia.  
687 Rex hostem fugiens plebeio tectus amictu  
688 (tempore rex illo primum simulator, at ora  
689 agnosco sacrata) fugit miserandus ad hostem.  
690 Quis non hostilis victo locus ? Ille suorum  
691 implorat popularium opem (proh jura fidemque !)  
692 rex hospes, supplex frustra. Sic sponte magister  
693 naufragus in fluctus, quos horruit ante, minaces  
694 exsilit ardenti et flammis crepitante carina.  
695 At fluctus crudelis et implacabilis ira  
696 luctantem in flammis et fata priora rejectat.  
697 Quid facerent ? Regem miles ceu fraude retentam  
698 ex bello praedam precibusque minisque reposit.  
699 Regem adamare putes, nec vivere posse sine illo.  
700 Nec minus et Scoti redamant, ac reddere nolunt.  
701 Non ita pro vili est : persistunt, acriter urgent  
702 jus partemque suam : aut illum non Anglus habebit,  
703 aut emet. O nullo credendum dedecus aevo !  
704 Ille potens dominus terraque marique sub hasta  
705 mancipii venit captivi more, suumque  
706 servus herum abducit, sector temerarius, emptum.  
707 Non tibi ego hoc tantum (procul absit) Scotia crimen  
708 imputo. Tentabis gentis virtute piare

709 totius, scelus hoc paucorum, et sanguine multo  
710 paucorum delicta lues. Vix arma quiescunt  
711 affixa in domibus, longusque revertitur ordo  
712 civilis belli. Foedis subjecta tyrannis  
713 regia majestas, constrictaque carcere Vectae,  
714 quem non commoveat ? Justas commovit in iras,  
715 Scotia, te sero, te libertatis amatrix  
716 Cantia, te Britonum non impar Cambria famae.  
717 Proelia quid referam vobis, quae plurima cerno  
718 astrorum auspiciis et adhuc commissa priorum ?  
719 Quid memorem trepidam tingentia vulnera Riblam,  
720 sistentesque fuga vel cursum, fluminis ipsum  
721 praecipiti Scotos ? Quid te, Medvaga, tumentem  
722 caedibus ? Obsidiove tuam, Colcestria, longo  
723 virtutem infractam, melioraque fata merentem ?  
724 Quid tot nobilium, pignantum nobile letum,  
725 captorumque necem miseram, belloque pudendam ?  
726 Non mihi post tantas clades, tot vulnera sortis,  
727 fas plorare quidem perituri funera regis,  
728 si mihi nota viri mundo notissima toti,  
729 caelestis pietas mortem inter munera ponet  
730 summa Dei. Scelus humanum, facinusque tremendum  
731 auditu deploro, quod exsecrabitur aetas  
732 nulla satis, quod nulla satis fecunda dolorum  
733 Tartara tormento poterunt punire perenni.  
734 Heu quid agunt ? Video productum carcere regem  
735 pegmate in excelso, suaque ante palatia, in arce  
736 imperii summa, populo spectante dieque,  
737 carnificisque manu  
738 substitit hic, gemitusque ima radice petitus,  
739 in solido ingentes prorupit cortice rimas,  
740 undique dimanant lacrimae de frondibus udis,  
741 quot qualesque solent madidae post tempora noctis,  
742 cum capiti haerentes nebulas Aurora resolvit.  
743 Ingemuit viridum simul omnis turba sororum,  
744 et maestum infremuit, subitique sonora doloris  
745 tempestas totum quatiit nemus. Inde secuta est  
746 saeva quies magni, mortique simillima, luctus.  
747 Post longum tandem Dryas incipit intervallum.  
748 "Tum vero innumeris confossa Britannia telis,  
749 et capite abscisso, proprioque in sanguine mersa,  
750 non agnoscendum jacet atque informe cadaver,  
751 immanis sine mente, animaque, et nomine truncus.  
752 Quis non post tantum mortis sperare quietem  
753 possit, et aeternum torpenti in funere somnum ?  
754 Nil minus. Ecce, loco unius tunc membra regentis  
755 mille scatent viles animae, ferventque tumultu  
756 (terrai putris soboles, ignobile vulgus),  
757 vermiculi genus omne, acrique insecta veneno,  
758 serpentesque atri, et serpentum maximus ipsas  
759 Cromvellus rabido depascitur ore medullas.  
760 Foedus odor toto late diffunditur orbe.  
761 Tum fas atque nefas versum, nec frena furoris  
762 impietas victrix habet, et transgressa pudorem.  
763 Pegmata tunc passim mediis erecta plateis  
764 sanguine nobilium rorantia cernere ludus,

765 et paria (heu tamquam spectacula praebita vulgo)  
766 carnifices, clarosque viros, commissa videre.  
767 Tunc ipse hospitium factus solemne bonorum  
768 carcer, et ante ortum lucis, quae ducit ad illum,  
769 plena via est turba. Sed delassata parumper  
770 saevities cessare, et respirare coacta est.  
771 Cessat avarities numquam, sine more modoque  
772 insatiata furit. Pugnantis saepe libenter,  
773 sed proscribentis deponitur hasta gravate.  
774 Quicquid florentum series longissima regum,  
775 magnifica parcaque manu congesserat olim,  
776 bellorum spolia, aut prolixae munera pacis,  
777 quicquid non frugi pietas et splendida cultu  
778 religio proavorum aris sacraverat ipsis,  
779 quicquid patricius regni possederat ordo,  
780 quotquot opum fideique rei (pro vasta vorago !)  
781 terrigenis paucisque haud sufficit omne tyrannis.  
782 Nec sat habent spoliare aedes regisque Deique,  
783 diruere, atque aequare solo gens impia gaudet.  
784 Est aliqua ipsius scelerata libido ruinae.  
785 Discurrunt fabri, sonat undique malleus ingens,  
786 undique ferramenta sonant, et acuta bipennis.  
787 Undique tigna vehunt, lapidesque gementia plaustra  
788 ardentes instant operi, strepitumque cientes.  
789 Aedificare putas victores velle superbos ?  
790 Diripientum ille est eversorumque tumultus.  
791 "Cumque haec eveniunt, sociae, cum ligna parentum  
792 defunctaque trabes vestrum, longaque quiete  
793 compostas olim regum sub turribus altis,  
794 excisasque furente manu, vulsasque videtis,  
795 tunc scitote diem vestrum, et lacrimabile fatum  
796 silvarum venisse. Trabes quae saeva sepultas  
797 deturbat domibus, non parcat dextera vivis.  
798 Tunc omnes late saltus, nemora omnia regni  
799 (nobile seminium et plantaria classis et urbis,  
800 spem belli, et pacis certa ornamenta futurae),  
801 religio quae magna olim, nunc maximus usus  
802 vivere privatae jubet inviolata securi,  
803 barbarus invadit victor sternitque, soloque  
804 eruit, atque igni divendit avarus avaro.  
805 Non generi arboreo aut aetati parcitur ulli,  
806 triginta annorum infantes in limine vitae  
807 dejiciunt ulmos, fagosque ornosque tenellas,  
808 nec senium aut cani reverentia corticis obstat.  
809 Pellitur infelix o semper musica turba,  
810 ramorum hospitiis volucres pelluntur avitis,  
811 flebiliterque novum celebrat Philomela dolorem.  
812 Exsul Hamadryadum simul his chorus effugit omnis,  
813 at tacito luctu (neque enim plorare sonorum  
814 caelestes decet) et lacrimis stillantibus intus.  
815 Heu fugimus, sociae, et toto vix orbe Britanno  
816 securos truncos quos ingrediamur habemus.  
817 "Sed non haec semper fera Saturnalia durant,  
818 immodico numquam dat tempora longa furori  
819 instans a tergo Nemesis, quatiensque securim.  
820 Vos ne despondete animos, vestri Deus ultor

821 exstirpabit eos radicitus et dabit igni.  
822 Sternite nunc silvas, nemora alta cremate, scelesti,  
823 non deerit vobis ex qua pendebitis arbor.  
824 Interea (neque enim voti vestigia nostri  
825 fata premunt, semperve sequuntur passibus aequis)  
826 interea extorres patriae crudelibus oris  
827 Carolidae magni per regna aliena vagantur,  
828 auxiliumque petunt frustra. Comes haeret ubique  
829 sors immitis adhuc, et vix concedit asylum.  
830 Heu quantum terris, quoties jactatus in alto,  
831 filius ille pius sancti patris ! Ille labores  
832 laetus obit cunctos, sortemque ferendo fatigat  
833 infractus. Perfer, juvenis venerande, labascet  
834 et cedet Fortuna tibi. Sed tempora Parcae  
835 exspectanda manent, tunc quae tua sceptrā tenaci  
836 nulla potest hominum vis extorquere tyranno,  
837 in dextram matura tuam atque caduca ferentur.  
838 "Quo fertur, quid agit ? Nondum data tessera fati.  
839 Prosilit ille ferox, et non patienter in arma  
840 prodigus irrumpit vitae, famamque lacessens,  
841 per clausum bruma atque inimicis classibus aequor.  
842 Litora adhuc suspecta petit, hostilia nuper.  
843 Vela tamen dantem reditusque in regna parantem  
844 Carolidem trepidae cernunt, dubioque tumultu  
845 Eumenides turbantur Oliverianaque mundi  
846 numina Tartarei, sacramque evertere puppim  
847 tempestate sua tentant, factisque procellis  
848 impediunt frustra, fato impellente, carinam.  
849 Sed metuunt etiam frustra, cum Caesar in illa  
850 tutus agente Deo, sed non fortuna vehatur  
851 Caesaris. Illa manus alias, alia arma requirit,  
852 et vix arma quidem. Frustra jam Scotia regem  
853 immutata suum revocat, tanti sed honoris  
854 gloriolam (totum neque enim meruisset) habebit.  
855 Emitteretque virum tandem plaudentibus astris,  
856 qui regem armatus multa cum pace reducet.  
857 Interea (nondum, o sociae, nam praeterit illud  
858 interea spissum) Sconae venerabile fanum  
859 Fergusii magni plusquam centesimus haeres  
860 ingreditur, veteremque capit de more coronam  
861 applausu ingenti, sed et o non omine fausto,  
862 impositamque manu regni non rite sinistra.  
863 "Urget atrox hostis, circumque strepentibus armis  
864 insultans furit, et turbat solemnia victor.  
865 Tum pulchram regi mentem, centumque parentum  
866 sceptrigerum sobolem dignam, indignatio justa  
867 et caedis patriae vindicta, incensaque virtus  
868 addit agens magnae stimulos sub pectore laudis.  
869 Non hic extremo regnorum in fine pudenda  
870 obsidione premi, aut venturae fidere brumae  
871 auxiliis, hostique altos opponere montes,  
872 sed dare se totum bello, permittere habenas  
873 fortunis animisque suos, Taoque remoto  
874 occlusum, ad Thamesim certa vel morte parandam  
875 affectare viam. Post terga relinquitur hostis  
876 attonitus, coeptique tremens horrore stupendi.



877 Heu, nihil adverso valitura in tempore virtus !  
878 Jamque dies venit precibus lacrimisque petita  
879 Brutigenae toties populi. Rex agmine forti  
880 in patriam vindex redit, et per mille labores,  
881 mille pericla viae, Sabrinae ad flumina victor  
882 (ad Thamesim malle) penetrat. Rex mavolet ipse  
883 ad Thamesim, sed consiliis immixta potenter  
884 vota vetant. Age jam, bellatrix Anglia, nunc, nunc  
885 poscere tempus equos, capere arma, incurrere in hostem,  
886 nunc (siqua est pietas) tempus defendere natum,  
887 ulciscique patrem, et patriam relevare jacentem.  
888 Talis erit mens una viris, idem omnibus ardor.  
889 "Hoc metuens genius regni malus, inque bonorum  
890 perniciem vel Cromvello vigilantior ipso  
891 temperat infernum saeva tetrapharmacon arte.  
892 Aspida somniferam gelidi immodicique pavoris,  
893 desidiaequae opium religantis frigore nervos,  
894 et constringentis dextram torpedinis instar  
895 virus avaritiae, nigro de flumine Lethes  
896 immiscet guttas. His omnia pectora spargit,  
897 et pestis subit uda, veterisque occupat ingens,  
898 oblitum famae populum propriaequae salutis.  
899 Non tamen hic a fortuna deserta suisque,  
900 hostibus innumeris circum obruta, deficit acris  
901 Carolidae virtus. Sabrinae decolor unda  
902 testis, et haud vano jam rubri nomine colles,  
903 metaque fatalis longi Vigornia belli.  
904 Post miseram late caedemque, fugamque suorum,  
905 ultimus excedit campo, capta ultimus urbe  
906 atque invitus abit. Mox et de colle propinquo  
907 respicit indignans, sparsumque recolligit agmen  
908 naufragio e tanto parvum. Integrare labores  
909 ira subit, casusque omnes, tandemque nefastum  
910 aut reparare diem, aut mortem superaddere damnis.  
911 Consilium laudant animosum, in utrumque parati  
912 Derbeiusque comes, Vilmottusque inclytus armis,  
913 et dux Villerius, juvenis formosus et audax,  
914 dulce domi sidus, violenti fulguris instar  
915 militiae, tantoque Aenea dignus Achates.  
916 "Nulla mora est, vertunt ora et vestigia retro,  
917 nec nova spes animos, sed desperatio pulchra  
918 ardentes iterum infelicia raptat in arma.  
919 Sic rex, sic alii pauci quos gloria mortem  
920 nec miseris docet esse viris, nec fortibus hostem.  
921 Non ea vis reliquae, nec tanta scientia turmae,  
922 vocibus hortantem vanis, surdosque precantem  
923 deseruere ducem trepidi, totosque per agros  
924 praecipitem sparsere fugam. Discrimine tanto  
925 quis te nunc, juvenis frustra fortissime, quis te  
926 implicitum nodis saevaque indagine sortis,  
927 inclusum deus eripiet ? Siquidem omnia possit,  
928 hoc poterit Deus, et faciet, nec tanta negabit  
929 (praemia martyrii) sancto miracula patri.  
930 Non illi aetherea praepollens Carolus aula  
931 Carolidae imbelli commendat voce salutem.  
932 "Nunc vobis, sociae, cur haec secreta referre

933 annorum jubear venientum, et pandere sacros  
934 tempora thesauros inter latitantia caeli,  
935 his impressa tamen dudum et signata figuris  
936 (quae nec somnus adhuc, nec dia insania vatum,  
937 nec pecudum fibrae, volucrum nec penna, nec astra  
938 monstravere homini) tacitis attendite ramis.  
939 "Limite in extremo qua dives spectat ad ortum  
940 Sallophia assurgit lucus cognomine Bellus,  
941 nunc locus obscurus, chartis incognitus ipsis,  
942 seque fruens. Sed mox toto celebratior orbe  
943 nulla erit, aut famae radiis illustrior umbra.  
944 Stat prope sacra olim, felicitis et ominis aedes  
945 albarum titulo dominarum. Haec unius horae  
946 perfugium regi, panemque (o munera magna !)  
947 prima dabit lasso, primumque albescere pulli  
948 hic color incipiet fati, sed non nisi postquam  
949 exuerit regem. Hic flentes dimittit amicos,  
950 illorum flens ipse vicem et discrimina, siccus  
951 immotusque suis. Hic ornamenta prioris  
952 aurea deponit vitae, nec taenia cruris  
953 caerulea, aut equitis servatur imago Georgi  
954 bellatrix. Jam sacrum equitem superante dracone,  
955 longa comae nigrae et speciosa volumina cultro  
956 scissa cadunt, capitique parum est cecidisse coronam.  
957 Induiturque artus pannosa et paupere veste,  
958 nec personatus tantum est hoc tempore pauper.  
959 Heu nimium istius legi rex maximus aedis  
960 subjicitur veteri. Pompam cultumque relinquit  
961 mundanum, abscindit crines, assumit egeni  
962 squallentem miserumque habitum, valedicit amicis.  
963 Fit monachus, mox et tectum fortuna negabit.  
964 Fiet eremita, in silvis se condet opacis  
965 solus, egens, vagus. Hoc etiam fortuna negabit,  
966 eripiet tandem terram crudeliter ipsam,  
967 vix profugo sedem dabit arbor in aere tutam.  
968 Tum vos, o lucum (ne frustra haec dicta putetis)  
969 ad bellum properate omnes. Intrate silentes  
970 truncum quaeque suum. Tota sine numine silva  
971 stat nullum genus arboreum, simul ipsaque praesens  
972 felicem ingrediar, nemoris quae maxima, quercum.  
973 Hic agite excubias noctemque diemque fideles,  
974 prospicite in totos erecto vertice campos,  
975 vicinasque vias, miles forte impius istuc  
976 ne veniat venatum homines, rapiatque profanus  
977 depositum caeli sacrum, quod numina nostrae  
978 committunt fidei, et tutum integrumque reposcent.  
979 Multa virum atque oculis impervia protegat umbra.  
980 "Hic igitur jussae regem exspectate, sorores,  
981 jamque aderit, jam nunc horae fatalis ad aures  
982 pervenit sonus. Interea quis rusticus iste est ?  
983 Vel quid humi recubat, nostraque sub arbore solus ?  
984 Num latro aut speculator adest ? Nam quis nisi talis  
985 sub Jove tam saevo ventum perpessus et imbrem  
986 duraret ? Vultum, precor, o habitumque notemus,  
987 et quid agat. Sordent crines et scortea vestis.  
988 Maestitiae multa in vultu, sed plura laboris

989 immodici videor vestigia inusta videre.  
990 Credo equidem et facies aliqua fuligine tincta est.  
991 Sed tamen haec inter (vos acrem intendite visum)  
992 sacrum nescio quid, non enarrabile quiddam  
993 luminis arcani scintillat, jamque tuenti  
994 clarius assurgit. Num me mea lumina divam  
995 fallunt fatidicam ? Nisi fallunt, rusticus iste,  
996 rusticus iste miser (pro caelum et numina !) rex est.  
997 Jam certe rex est. Divina apparet imago,  
998 expugnatque leves tenebras et nubila vana.  
999 Salve magna deum - sed quis venit importunus ?  
1000 Dii regem servate, aliquis venit. O bene factum !  
1001 respiciunt humana dei, nec proditor iste,  
1002 sed fidus fortisque vir est, Carlesius iste est  
1003 naufragio in nostras umbras ejectus eodem.  
1004 O felix, o Cromvello felicior ipso  
1005 quem mala sors tanto victum dignatur honore !  
1006 Ille refert agros compleri milite totos,  
1007 perque domos omnes, perque omnes quaerere silvas  
1008 addictum pretio sacrum caput, et prope adesse,  
1009 jam prope adesse hostes. Quid agant ? Discrimine ab ipso  
1010 consilium rapidum sed non sine numine sumunt.  
1011 Conscendunt nostram, nemoris quae maxima, quercum.  
1012 Ipsa ego scandenti ramos inclino volentes  
1013 et solium regi compono molliter aptum,  
1014 lautaque contexo densae conopea frondis,  
1015 et caput augustum supra jubeo ipsa repente  
1016 gemmiferum (felix omen) prorumpere viscum.  
1017 Hic nos incolumem fatis sub tegmine nostro  
1018 rite salutemus submisso vertice regem,  
1019 tota illum tacite silva et reverenter adoret.  
1020 "Salve, magna deum cura, et nunc maxime regum.  
1021 Nec te plorantem, nec te rationis egentem  
1022 horrida tantorum circumstat turba malorum,  
1023 ille potens vere est, potuit qui tempore tali  
1024 nec timuisse necem, nec desperasse salutem.  
1025 Hoc opus est animi summum regalis. Ademit  
1026 si regnum Fortuna tibi, justissimus ultor  
1027 fortunae tu regnum adimis, victusque triumphas.  
1028 Par superi tantum gaudent committere, sed te  
1029 donabunt rude. Nec longe pulcherrimus ille  
1030 annus abest. Procedet, io, procedet Olympo  
1031 pacatum irradians astris felicibus orbem.  
1032 Stellaque lucentem ducit fortissima pompam  
1033 quae tibi ter denis annorum cursibus ante  
1034 natalem candore sacro signaverat horam.  
1035 Ausa die medio sustollere lampada noctis,  
1036 ausa die medio toti se opponere Phoebos,  
1037 atque novum insolito portendere lumine lumen.  
1038 Nunc iterum caelos, nunc prodigialiter ornans  
1039 surge die medio, bona stella, renascitur, ecce  
1040 Carolus ille tuus ! Nunc demum est editus ille  
1041 vitalem in vitam, jucundasque aetheris auras.  
1042 Ecce laborantem manus ut fortissima Monchi  
1043 educit placide in lucem, nexusque resolvit  
1044 obstetrixque tibi est ! Generose renascere princeps,

1045 majus adest pulchro fatis tibi debitus ore,  
1046 natalisque tuus. Generose renascere princeps,  
1047 o laetum nitidumque diem ! Pacisque triumphum  
1048 victricis ! Cum tu, fortunatissime regum,  
1049 magnorum medius fratrum, et splendente caterva  
1050 stipatus procerum Londinum invectus ovanti  
1051 aureus ibis equo. Mundum coisse putares  
1052 visendi studio. Foliorum turba virentum  
1053 non est in silva magis innumerabilis ista.  
1054 Omnibus una venit primo, mox omnibus una  
1055 vivat, io vox est, plausumque sonoraque tanti  
1056 gaudia crediderim populi trans aequora ferri  
1057 turbine ventoso, et gentes terrere remotas.  
1058 Insanire juvat, permittite, Stoica turba,  
1059 finiat ut brevis haec hilarisque insania tandem  
1060 viginti annorum miseros tristesque furores,  
1061 nec patitur tali noctem succedere luci.  
1062 Tota simul festis exardens insula flammis,  
1063 insula tota ardet, lucent maria omnia circum.  
1064 "Quid referam ludos vulgi, cantusque dapesque  
1065 et risum et fletum ? Nam dulces fundit et albas  
1066 laetitia infrenis lacrimas. Quid vina per omnes  
1067 currere aquaeductus ? Nimirum flumina et ipsa  
1068 fundere deberent (aetas venit aurea) vinum.  
1069 Aurati veniunt menses, et lucidus ordo  
1070 saeculorum. Pax, ecce, poli de parte serena,  
1071 nubila discutiens, pax longa revertitur exsul,  
1072 Albionemque albis plaudens amplectitur alis.  
1073 Nec redit incommitata, pudor redit et bona fama,  
1074 copiaque, et cultum pietas induta decentem,  
1075 atque Astraea diu terras exosa Britannas,  
1076 ingeniumque artesque, et formosissima rerum  
1077 libertas sub rege viget quae maxima justo.  
1078 Cumque his, non minus ipsa bonum, tu regia mater  
1079 post longum exilium in patria (quis credat ?) acerbum,  
1080 Magna Maria, redis, tibi dilexisse maritum  
1081 crimen erat, partemque piam subiisse laborum.  
1082 Nunc vindictam illi Deus, et tibi praemia solvit.  
1083 Salve, feminei decus, o sexusque virilis  
1084 regina opprobrium ! Quam sorte in utraque decenter  
1085 laetamque tristemque, suique in utraque potentem  
1086 cernimus, invidiamque deis de conjuge solo  
1087 conflantem lacrimis, rota quum circumsonat orbis  
1088 immotam, et centro fixam virtutis in ipso.  
1089 "Protinus adjicies animum, justissime princeps,  
1090 ad verum regnantis opus. Tot vulnera belli  
1091 et certa et leni componere hiantia dextra,  
1092 paulatimque cicatrices abolere vel ipsas.  
1093 Reddere vim legi majestatemque priorem,  
1094 tergere corruptos scabra rubigine mores.  
1095 Antiquam revocare fidem, et vetus illud honestum  
1096 nominis Angliaci. Talis cura occupat horti  
1097 squallentis reducem dominum, senta omnia visu  
1098 horridaque offendit, sed luxuriantia cauta  
1099 falce premit, dejecta levat, religatque soluta,  
1100 multa serit, multa exstirpat, novat omnia cultu.

1101 Immensum sed dulce opus est, omnemque coloni  
1102 paulatim recreat crescente decore laborem.  
1103 Nempe tui, rex magni, horti sunt oppida et urbes,  
1104 his culturam adhibes formosam, atque ordine bello  
1105 singula disponis, sed et haec quoque respicis inter  
1106 nonnullis silvas oculis. Succurris earum  
1107 accisis inopum rebus, populataque regna  
1108 arboreae gentis suffecta pube novella  
1109 integras augesque, futurum extendis in aevum  
1110 imperium silvestre, tuisque beata jacebit  
1111 (optime protector) pronepotum turba sub umbris.  
1112 Hi tibi debebunt aestivaque frigora laeti  
1113 brumalesque focos. Debebunt fixa domorum  
1114 tecta, domosque vagas, nemorosa palatia ponti.  
1115 Forsan abhinc annos tercentum aut mille futurae  
1116 fundamenta jacis jam nunc et classis et urbis,  
1117 ingentesque metes praesens hic ipse triumphos,  
1118 ingentesque feres a posteritate metendos.  
1119 Ipse viam primus findens qua gloria clivo  
1120 praerupto consurgit ad altae lucida famae  
1121 templa tuos duces, exemptos nocte, Britannos.  
1122 Ipse dabis ponto moremque ac jura frementi,  
1123 ipse indignantem claudes, humilemque recludes,  
1124 tu dominus mundi et Neptunus habeberis udi,  
1125 et tibi erunt tria regna tridens.  
1126 "Quis furor, o Batavi, velle extorquere Britannis  
1127 quod natura dedit, sceptrum maris ? Illa coronat  
1128 fluctibus, atque alias terras ex parte salutans  
1129 dilectam Albionem complectitur Amphitrite.  
1130 Vix insultantem oceanum graviterque prementem  
1131 obsidione urbes ac moenia vestra perenni  
1132 aggeribus factis tumulisque arcere valetis,  
1133 et tamen audetis (spes ambitionis inepta !)  
1134 imperium pelagi vobis promittere totum,  
1135 oceanique undis imponere regna paludum.  
1136 Non hoc Carolidum patietur vivida virtus,  
1137 sed nec ego hoc patiar Britonum invictissima quercus.  
1138 Ecce minax Batavum vacuo volat aequore classis  
1139 atque absente canit tamquam victo hoste triumphum.  
1140 Ille diu haud aberit, nec tu laetabere longum,  
1141 Belga ferox, seris natalia non sine votis  
1142 litora respicies. Primi rumoris ad auram  
1143 prodigus ille animae et laudis solius avarus  
1144 impatiensque redit ductor Jacobus in altum,  
1145 quo tu more fugam praeceps post bella capesces.  
1146 "Jamque procul Batavum conspecta classe Britanni  
1147 clamorem ingentem tollunt, qualem edere mos est  
1148 post longam extremis reduces trieterida Sinis,  
1149 cum patriae rupes et candida saxa salutant.  
1150 Primam aciem ducit ventoque Deoque favente,  
1151 et virtute diu celebri terraque marique,  
1152 cornuaque obtundit Batavae navalia lunae  
1153 Rupertus, flammante viam sibi limite scindens.  
1154 Protinus obvertit medium trepidantibus agmen  
1155 Carolide in summa nudo stans arduus ense  
1156 Jacobus, ductorque ducem in certamina quaerit.

1157 Nec saevum Opdamus detrectat fortis honorem,  
1158 regiaque hinc, illinc praetoria puppis utrique  
1159 non segnes horrenda parant spectacula classi.  
1160 Quonam, Opdame, ruis ? Non haec temeraria virtus  
1161 grata Deo, non est. Tantone sub hoste perire  
1162 ambitio est ? Tantaene placet tibi gloria mortis ?  
1163 Tu dextra majore cades. Deus ipse ruentem  
1164 in scelus hoc feriet, tam digno vindice nodo  
1165 intererit Deus ipse, sui defensor ubique  
1166 Carolidae praesens, et rupti foederis ultor.  
1167 Ingens illa ratis, centum aerea fulmina portans,  
1168 sexcentosque vehens, intacta hostilibus armis,  
1169 dissilit immani in nubes immissa fragore  
1170 fumosque flammisque vomens, semustaque sparsae  
1171 fragmina compagis, lacerataque membra virorum,  
1172 seu Deus in miseros non fictum fulmen adegit  
1173 (credibile est, et pax toties violata fidesque,  
1174 et scelus Amboynae meruere piacula tanta),  
1175 seu pyrius pulvis fortuito accensus ab igne  
1176 erupit violens. Directus numine casus  
1177 ipse Dei telum est. Natat igneum in aequore vasto  
1178 naufragium late, miseranda ruina vel hosti  
1179 terribilisque pio. Sed adhuc miserescere multum  
1180 non vocat, horrendo jam cuncta utrimque tumultu  
1181 miscentur confusa, legitque carina carinam.  
1182 Et nihil Opdami sacra conterrita clade  
1183 victorem aggreditur Jacobum Aurantia puppis,  
1184 audax ante alias et fulmine digna secundo,  
1185 ni virtus illam sibi posceret Anglica vindex.  
1186 Ignibus humanis stridentem devorat aequor,  
1187 exurit tres Fama rates, cognomine diva  
1188 non memoranda parum, tres et Delphinus adortus  
1189 sulphureo nimbo flammisque furentibus haurit.  
1190 Urbem ardere putes noctis per tempora captam,  
1191 tot diversa simul findunt incendia passim  
1192 nubila fumorum bombardarumque tenebras.  
1193 Undarum in regno quis tanta licere putaret  
1194 ignibus ? Et certe merito latet unda pudore.  
1195 Illam operit strages dispersae vasta ruinae  
1196 antennae, malique, forique, avulsaque rostra,  
1197 et tabulae, funesque et vela, et aplustria, et arma,  
1198 et temere jactata cadavera mille virorum  
1199 seminecesque viri, et siqua patet area ponti.  
1200 Purpurei apparent tractus et caerula celant.  
1201 Longa mora est mersasque rates captasque referre,  
1202 et quae multa dabit varii discrimina fati  
1203 una dies. Monstrata modis sollertia multis,  
1204 ingenium et paene poetica copia casus  
1205 queis servare aliquos et multos perdere gaudet,  
1206 queis saevit parcitque modis. Dant nobile mundo  
1207 exemplum (exsuperant vulgi numerumque fidemque  
1208 funera) tres meritis juvenes et sanguine clari,  
1209 momentoque uno, plumbique volatilis uno  
1210 dilacerati ictu. Tres unum paene cadaver,  
1211 tergeminique eadem fratres in morte jacentes.  
1212 Quis non, o fera sors, quis non, o barbara, dicet ?

1213 Illa benigna tamen simul est. Nam proximus illis  
1214 (horresco referens et tam vicina periculo  
1215 gaudia me turbant) en ductor regius ipse  
1216 fulguris afflatus pyrii stridentibus auris,  
1217 sanguine respersus morientum, vulnere nullo  
1218 libatur nulloque metu. Premit acrior hostem,  
1219 ardescens iraque nova ingentique dolore.  
1220 Nec superaccensam justis jam sustinet ultra  
1221 virtutem Angliacum furiis, quamquam incluta virtus  
1222 Belgica, tot damnis infracta atque impare causa.  
1223 Diffugiunt saevi palantes aequore toto  
1224 reliquiae belli lacerae. Tandem ostia victis  
1225 maesta aperit, nostrosque videns post terga ruentes  
1226 attonitus tremit, et submittit cornua Rhenus."  
1227 Sic cecinit sacro Dryas irritata furore,  
1228 multaque venturae siluit miracula laudis,  
1229 sed post me genitis dii tanta tropaea reservant,  
1230 et celebranda dabunt melioribus illa poetis.